

POETARVM
ELEGIACORVM
STILO, ET SAPORE
OVIDIANO



SCRIBENTIVM,

ADHVC PLERORVMQVE ANECDOTORVM

COLLECTIONIS

PARS ALTERA.



VINDOBONAE,

TYPIS JOSEPHI NOBILIS DE KVRZBEK,

AULAE TYPOGRAPHI, ET BIBLIOPOLAE.

MD CCLXXXIX.



Praefatio

RECENTIOR.


Quae in fronte Partis prioris apparet Praefatio, jam eadem ad hanc quoque alteram pertinet, utramque ea propter circumplexa, quod uno putabam volumine hanc me totam Collectionem, uti mihi in mundo tum quidem fuerat, editurum. At ubi aliquanto



poſtea prelum animadverti latius excurrere, quam ut ne legendi commoditas deſiderari ob molem poſſet, ſi unum in librum tota carminum ſupellex compingeretur: jam conſilium omnino fuit, eandem in duo partiri codicillos, atque etiam quasdam, quae ſe mihi inter edendum obtulerant, ſuppetias haud gravate admittere. Interim cum cauſae ſit nihil, quam ob rem Praefatio prior hic antiquetur; ſed ea compendii potius largiatur copiam, ne ſint eadem bis mihi repetenda: hinc ibi declaratis omnino et iſthic ſtabo, eodemque pertinere illa velim; cum eo duntaxat, ut partitionis hic mo-

dum

dum quoque (causa jam reddita) impertiam. Secreveram igitur priorem in partem Collectionis Scriptores eos omnes, quicunque ad aliquam rationem temporis sive indicio quodam aetatis, sive auditione saltem aliqua adduci ex ordine poterant: qua in re postremus ad me ipsum respicere locus debuit, qui ultimus desierim Collectioni manum adhibere. Sed supererant ex priore, quem congesseram, promtu anonymica duo carmina, de quorum mihi aetate nulla erat relicta significatio ullius temporis. Haec igitur rite videor in altero jam codicillo, a chronotaxi ceterorum sejuncta, proxime ante meas accessiones in-



ſtruere: in quibus quidem et ipſis temporis, quo eas lucubraveram, rationem habui; ſic tamen, ut ad ſuas antea claſſes referrentur; quae tres mihi Elegiacorum libros fecerunt.



ELE-



ELEGIA
ANONYMI

Punicerus queritur Melampo Medico aegritudinem ſuam, opemque ejus expoſcit.

Elegiam hanc, itemque proximam ab eodem, quem pag. 188 laudavi, ex Bohemia Amico indeptus, ſi manus, quae litteras exaravit, indicium ſequar, eidem utramque Auctori reddidero: quem character jam paulo antiquiorem ſubindicat. Ac diverſorum quidem Auctorum monimenta ita




non raro venditare posteris descriptorum manus queat, ut unius inde existimentur originis: et vero subolere mihi hic quoque descriptio debuit, cum sphalmata ibidem deprehenderem, quae Auctoris ipsius imperitiae non poteram imputare; sed multo facilius referre ad Amanuensem. At enim stili, indolisque ratio, et certi quidam cursus ingeniorum multo praebent propiorem analogia sua conjecturam. Itaque dissimili licet in argumento maxima tamen ejusdem venae poëticae germanitas in istam me adduxit sententiam, ut, qualia ad me perferebantur haec scripta, ejusdem esse Auctoris nihil jam dubitarem. Multum mihi sum gratulatus, fortuito hisce partis suppetiis, quae in pulvere forsitan erant aeternum dormiturae, cum ingenii tamen strieturas quasdam insignes prodant. Interim erat in utriusque argumenti lucubratione, praeter describentis lapsus, etiam aliquid non raro negligentiae, quae non parum mihi ad elimandum negotii exhibuit: ut hae quoque elegiae non mediocri ex parte recentius ad aevum rescribi possent, nisi argumenti potissimum habenda ratio foret, quod est in eisdem a me retentum ferme ex integro cum iis omnibus, quae felix Auctoris ingenium etiam sine cultu, ac ju-

dicii

dicii cura ſuapte bene profuderat. Quamvis dictionis Ovidianae proprietatem, munditiamque, ac Latinitatis, qualis in Mülleri, Seidelii, *ac* Grebmeri *carminibus, aliisque exſplendeſcit, florem non perinde videbatur attigiſſe: iſtas tamen aliis penſabat virtutibus, mira praeſertim ſimplicitate, qua rerum tenuiſſimarum inductiones perſequitur.*

* * *

Haec, tibi quae Laribus defertur epiſtola noſtris
Alterius ſcripta eſt, cernis ut ipſe, manu.
Vin' cauſam? Febris heu! qua non atrocior ulla,
Corripuitque pedes, corripuitque manus.
Decumbo affixus ſtrato, ceu truncus inanis.
Nil ago; ſed patior corpore multa miſer.
Auricomus medio ſeu fulgeat aethere Titan;
Pallida ſeu lentos Cynthia flectat equos:
Nervoſus ſaevit per languida membra Tyrannus,
Intima avernalis torquet et oſſa dolor.
Culcitra, quae ſanis eſt portus, et ara quietis,
Haec aegro cippus, cruxque, rogusque mihi eſt.



Stragula, pulvillos conferto ab olore tumentes,
Cuſpidibus cinctas arbitror eſſe vepres.
Quo morbo crucier, ſat conjicis inde, Melampe:
Arthritis nempe, haec dira, nefanda lues,
Tempora quam preſſi ſat longa, diuque negavi,
Haec ſe ſe indiciis prodidit ipſa ſuis.
Nil ultra dubito, perquam nam ſentio, quantum
Arthritis natum ſit Phlegethonte malum.
Haec, haec me cruciat, querulam haec tibi mittere chartam,
Suppliciterque tuam poſcere cogit opem.
Exprimere o utinam tibi, quae nunc perfero, poſſem!
Exprimere at nec vox, penna nec ulla poteſt.
Objice quaeque tibi dira, horrida, qualia quondam
Corpore torti homines ſuſtinuere ſuo:
Quos lento ſuccenſa foco ſartago cremavit,
Quosque ſuus fixo perluit enſe cruor:
Quos ferratae acies terebrarunt, atque ſagittae,
Et ſecuit rapidis acta quadriga rotis:
Quos faculae uſſerunt, pix ignea, lampas, et olla,
Membratim et forceps carpſit aduſta foco.

Fac, videas medios ferram deſcendere in artus,
Et ſciſſa in partes hiſcere membra duas.
Cernere ſuccenſos oleo te finge lebetes,
Et Siculo fuſos aere ſonare boves;
Quos ferus invenit Scyron, Buſiris et atrox,
Ipſaque barbaries ingenioſa modos:
Quas Nemeſis poenas nocuas decernit in umbras:
Si lubet, ante oculos has tibi pone, velim.
In mentem veniat ſuperi fur callidus ignis,
Qui nunquam ſaturam viſcere paſcit avem;
Sacrilego Titius correptus amore recurrat,
Cujus vultureo carpitur ungue jecur.
Theſſalus et mentem ſubeat Dux, noxia cujus
Membra agit in gyrum, dilaniatque rota.
His non abſimiles cruciatus inter olorum
Exuvias natitans me tolerare reor.
Ut variat lictor trux ſcenam, jamque mucrones,
Jam chordas adhibet, jam flagra, jamque faces:
Sic variis, et mille modis me peſſima febris
Lancinat: hora novo nulla dolore vacat.
Jam ſiquidem tundit manuumque, pedumque rubentes
Malleus, aut roſtri cuſpis acuta fibras:

Jam



Jam fax fcintillans, admotaque lamina candens
Uftulat et venas, intima et offa cremat.
Jam caro non fecus, ac rigidis laceratur ab uncis,
Tolluntụrque velut forcipe frufta mihi:
Jam ducta huc illuc, quae nefcio, fubula cunctos
Perforat articulos, perterebratque finus.
Nullum cerno quidem Vulcani e rupe Cyclopem;
Nec mihi, quem videam, vultur aduncus adeft:
Nullus adeft Scyron, Procruftes nullus, et Atreus;
Nullaque tartareo bellua miffa finu:
Cyclopum validos tamen ictus artubus imis,
Vultureos ungues, cerbereumque canem,
Tortorum gladios, nervos, faculasque, crucesque
Ferre mihi videor, fuftineoque mifer.
Carnificum nempe haec cunctorum fungitur una
Munere, quae nervos torquet acerba febris.
Abfint mucrones, fcuticae, flammae, atque cataftae;
Aequatur febris haec omnibus una malis.


O quanti hinc gemitus erumpunt faucibus imis!
Circumfuſa queis perſonat aura procul.
Tantos, quem patior, dolor edit pectore planctus,
Excipere ut nemo hunc, quin gemat ipſe, queat.
Ut lupus eſuriens ululat, rugitque Nemeaea
Sancius infixo ſente per antra leo:
Taurus ut horriſonis mugitibus aëra complet,
Quem rabido prenſum dente Lyciſca tenet:
Sic clamans ululo, ſic ejulo, mugio ſaepe,
Cum per membra lues plus inimica furit.
Nocte licet voces hominum, pecudumque quieſcant,
Noſtra tamen querulis vox ferit aſtra ſonis.
Jam ſiquidem tollens oculos caeli invoco Numen,
Hujus et imploro flebilis aeger opem.
Jam, ceu mota foret mens, dentibus infremo, diris
Devoveo furiis natam Acheronte luem.
Incultas hanc ad cautes, ad luſtra ferarum,
Ad Stygias, queis eſt orta, relego plagas.
Quidquid reſpiciam, quamvis arriſerit ante,
Diſplicet, offendit, moeſtitiamque parit.

Quam



Quam prius arceſſebam ultro in mea tecta coronam,
Haec ſi fors veniat, jam mihi grata parum eſt.
Ipſe etiam tenero mihi junctus amore Miſettus
Delicias oculis non dat, ut ante, meis.
Aſſiduus, fateor, thalamo noctuque, diuque
Noſtro adſtat, famulas promtus obitque vices
Jam nempe is defert ſitibundis dulcia labris
Pocula, et artifici fercla parata manu:
Molles jam ſtrati pulvillos, preſſaque vertit
Stragula, quo melius, commodiusque cubem:
Linea jam cautus manuumque, pedumque reſolvit
Vincula, prunarum membra vapore fovens:
Jam tumidos iterum faſciis obvolvit is artus,
Nequa vel afflatu concitet aura malum.
Omnibus officiis morbum lenire Miſettus
Contendit: nulla hunc lenit at arte tamen:
Nam ſi vel tenui me Puſio pollice tangat:
Hem dolor increſcit, mox ululoque miſer
Plumula ſiqua levis forte huc labatur ab alto,
Aut atomus tenuis: grande videtur onus.

Et, velut ignivomis veniens pila faucibus eſſet,
Sic lapſu ſenſus afficit, atque ferit.
Os hebes eſt, poſitaeque movent faſtidia menſae,
Et queror, inviſi cum venit hora cibi.
Obveniat, quidquid mare, tellus, quidquid et aër
Educat; inde nihil, quod cupiatur, erit.
Si tamen ingeritur modicum quid: non ſecus, atque
Aut ſtipula, aut fenum, aut ſtramen inane ſapit.
Inſuper, affuſa pingui ceu Pallade flamma,
Crudeſcit vino noſtra, ciboque febris.
Is quoque, qui vegeto cibus eſt in corpore, ſomnus
Non alit officio membra ſopita ſuo.
Hinc vigilo, vigilantque mei ſine fine dolores,
Temporis et moeſti taedia longa fero
Dura mihi (nam nil recreat) tua Cynthie lux eſt:
Sed tua, quae ſequitur, plus mihi dura Soror.
Jam decies namque exhibuit ſua cornua mundo:
Exorto toties ceſſerat illa tibi.



Ex quo non ullus mea clausit lumina somnus,
Deseruit thalamum Morpheus atque meum.
Saepius hunc multum ingeminans sum questus abesse;
Saepius optavi conciliare mihi.
Somne, quies animi, morborum dulce levamen!
Talia ad absentem verba, precesque dedi:
Ah ubi, Somne, lates? huc o! huc lenis adesto:
Tange soporifera lumina nostra manu.
Ipse feram tenerum placita tibi nocte papaver,
Unde tuis nectam serta gerenda comis;
Ipse tibi laudes, votivaque carmina solvam:
Tu modo ne desis laudibus, oro, tuis.
Membris tu amissum nosti renovare vigorem;
Tu famulas aptas ad nova pensa manus.
Tu nosti infando lenimen ferre dolori:
Tu morbis gravibus corpora fracta levas.
Haec ego jam quoties singultus inter amaros;
Sed lurdo, aut lapidi perdita verba dedi!
Illuxit toties Titan redivivus ab undis:
Attamen haud rediit, qui dedit inde fugam.
Hucusqne insomnes vivo noctesque, diesque,
Et nostrum refugit Morpheus usque torum.
Cur ita? flexissent nostra hunc, puto, vota, precesque:
Est etenim mitis, flexibilisque Deus:

Discessit culpa, non nostra, offensus abunde:
Ad nos hinc pennas flectere pronus erat.
Sed quem saeva lues procul hinc excedere jussit,
Tormentis arcet, nec remeare sinit.
Hic status, haec rerum facies est nempe mearum:
Nec juvor ullius, qui medeatur, ope.
Sed miser absque ullo lenimine quo usque jacebo?
Taleque supplicium quo miser usque feram?
Nullamne ergo ferat terra herbam; nullaque dentur
Pharmaca, lugentem quae recreare queant?
Tamne altas egit radices intima pestis,
Evelli ut medica vix queat arte febris?
Tentavi propriae seu quae mihi cura salutis
Suggessit, seu quae svasit amica cohors.
Quos ego, prô! succos multum obsistente palato
Potaram, medicas glutieramque molas!
Far quoties tostum ad prunas, tostumque Misettus
Applicuit nervis, articulusque meis!
Pulverem is Angelicum cum pulvere praecipitato,
Paeonium panaces, mandragoramque dedit

Hic centauream, et malvis colophonia miſta,
Mentham hic, et urticae ſemina parva tulit.
Nil horum renuo: quin circumquaque ligantur
Pulvilliſque manus, panniculiſque pedes.
Non membris thermae, cataplaſmata, balſama deſunt,
Suffitum quoties halat acerra calens:
Quis tamen effectus? Glaciata ut cruſta calore
Solvitur; ut cellis fumo abiguntur apes:
Sic ego ſollerti cura hac me poſſe putabam
Atrox oſſilega pellere ſede malum.
Nil tamen eſt actum: ſpes me deluſit inanis.
Imis haeret adhuc peſtis acerba fibris.
Hoc quin conatu magis irritata per artus
Graſſatur, cunctos permeat atque ſinus.
Mercuriali qualis ineſt natura metallo:
Talem nodoſae teſtor ineſſe lui:
Jam ſcapulas etenim, jam dextrum, jamque ſiniſtrum
Haec latus aggreditur; jam caput, atque manus.
Laetabar, laevo pede deceſſiſſe dolorem
Nuper: at hoc ſenſit mox vitiata manus.
Sic vagabunda febris cruciatu membra pererrat;
Expelli ſeſe quin ſinat inde tenax,

Ho-

Hoſtis nempe inſtar, qui cum ſemel occupat urbem,
Extrudi nulla jam ratione queat.
Aut inſtar taxi, ſcrobe quem abditiore latentem
Incaſſum tentant prolicere inde canes.
Juſtane deſtituit graviter me cauſa querendi,
Qui cogar jugis tam grave ferre malum;
Qui tantas inter poenas noctesque, diesque
Totos, mille ferrens ſchemata mortis agam?
Percurſant agiles alii fora, compita, vicos,
Et procul in latos exſpatiantur agros:
Cum ſociis ludos, convivia lauta frequentant,
Bacchantes patri thyrſigeroque litant;
Infelix at ego manibus, pedibusque ligatis
Ceu vepribus cinctus, cinctus et igne cubo.
Atque utinam ſaltem mala noſtra agnoſceret, aedes
Qui crebro noſtras hoſpes adire ſolet!
Hoc ipſum at mentem affligit vehementius usque
Quod, miſer ut re ſim; non tamen eſſe puter,
Dum gemo, ſubrident alii, noſtrasque querelas
In falſos vertunt ore procace jocos.



Obtendunt mihi percelebrem, quem nescio, coetum:
Insertum huic ajunt nomen et esse meum.
Sortem hanc gratantes suffultos vellere soccos,
Pulvillos, manicas, linea vincla ferunt,
Porro ocreas ampli calycis, sellasque curules,
Saevique objiciunt commoda flenda mali.
Quin etiam exhibito coetus diplomate, clarum
Me fore divinant ordine in hocce decus.
Sunt imo, qui ceu pigrum ausint carpere, molli
Delicias thalamo quaerere meque ferant.
Hinc stimulant, urgentque, ut plumea tegmina linquam:
Ad nemus, ad campos, ludum, epulasque vocant
Sicne, ajunt, decet usque dies hoc vere jacendo
Perdere? Proh quantum dedecus hocce chori!
Boeotum aut patria es, crassoque sub aëre natus;
Aut pigra te in lucem forte Vacuna dedit.
Talia nempe mihi lingua petulante sodales,
Quos morbi nostri vis truculenta latet.
Et quem non feriant sannae hae? Quis corpore stratus
Cum gemit, implacida non ferat aure jocos?



O mea quam promtus rabulis his credere vellem
Commoda, quae tanta garrulitate crepant!
Dent utinam Superi, quae nunc fero commoda morbi,
Haec una ſaltem ſannio nocte ferat!
O quam longe aliter piſcator ſentiet ictus!
Quam cito damnabit, quos dedit ante, ſales!
Quos prô! rugitus tum faucibus ille profundet!
Flebilibus quam tum planctibus aſtra petet!
Mavolet, haud dubito, verſare rotasque, molasque,
Quam molli mecum ſic piger eſſe toro.
Non ita te reor ignarum febrium eſſe, Melampe,
Ut hocce eludat te, lateatve genus.
Nec tam difficilis, reor, es; tam durus, et aſper,
Ut, quae penna refert, abſque dolore legas.
Ad te igitur ſupplex juxta, fidensque recurro,
Cujus Apollinea nomen in arte viget.
Te Phoebus docuit ſuccos dignoſcere, et herbas:
Hic tibi detexit pharmaca nota ſibi.
Imperium morbos ab eo tu nactus in omnes,
Quaelibet iſtius numine monſtra domas.



Non minus infeſtas elidis pollice peſtes;
Ac olim Alcides prodigioſus Hydras.
Innumeros, ſcio, profligaſti e corpore morbos:
Profuit innumeris arsque, manusque tua.
Quorum conclamata fuit jam vita, ſalusque:
His vita, atque ſalus te medicante rediît.
Tantum in letiferis ars eſt tua cognita morbis:
In noſtram poterit num minus iſta febrim?
Ergo ſiquis amor, ſi qua et miſeratio noſtri
Te tangit, miſero, quam potes, affer opem.
In te praecipue mea ſpes innixa recumbit,
Quae ſibi ſolamen poſcit, opemque tuam.
Virtutem tot aliîs ſpectatam impendito nobis;
In nobis vires experiare tuas.
Sat mea membra diu adſtrinxit Phlegethontia compes:
Torqueri ne me longius, oro, ſinas.
Per ſtudii precor id communia federa noſtri,
Et non vile tibi nomen amicitiae.
Miſcueris quaecunque mihi; ſint fellea quamvis
Pharmaca; prenſabo, mox avideque bibam.
Ipſe fores veluti caelo delapſus Apollo:
Sic ego pendebo totus ab ore tuo

Nec

Nec mercede ſua virtus impenſa carebit:
Obſequii meritum lingua, manusque colet.
Acceptam gratus gaudebo referre ſalutem,
Nec parcam laudes amplificare tuas
Nominis ante mei venient oblivia, grato
Quam tua labetur pectore cura mei.
Spiritus hic tenues citius vaneſcet in auras
Gratia quam fiat tempore noſtra minor.
Ergo veni, primumque mali reſtinque furorem:
Poſt etiam totus ſpero valere. Vale!





ELEGIA,

qua Collinus Cardelino discedenti valedicit.

Ergo dividimur complexu, quodque dolorem
Exacuit, nunquam fors rediturus abis.
Saepe mihi (scio) dixisti procul inde migrabo,
Et toties cordi vox ea mucro fuit.
Nunc tamen expansis dum me complecteris ulnis,
Dum nostris defers basia summa genis;
Supremam abscedens tremula mihi voce salutem
Dum dicis, quanto heu! vulnere corda feris!
Erumpunt lacrymae, nec nostro parcior imber
Lumine, quam verna de nive manat aqua.
Me miserum, quam nulla diu sibi gaudia constant!
Ouam facile in ventos dissipat illa dolor!

Haec, ſcio, fatorum lex eſt, nil tempore longo
  Ut duret, varias cuncta habeantque vices.
Non ſemper nitidus ſudo aethere ridet Apollo:
  Saepe tegunt atro hunc nubila foeta peplo.
Ver fugit aeſtates; aeſtatum terga laceſſit
  Pomifer autumnus; quem cito bruma premit.
Aequius hinc abitum ferrem; velut iſta recurſant,
  Si reditus eſſet ſpes mihi certa tui.
Si brevis ut fuerat, praeſentem habuiſſe, voluptas:
  Sic brevis atque foret te caruiſſe dolor.
Hoc ipſum at cruciat, felix quod neſcio num ſit,
  Quae te olim revehat, lux oritura mihi.
Fors ego te nunquam, mi Cardeline, videbo,
  Nullaque nos junget forſan in orbe dies.
Sol quoties curſu remeabit ſigna peracto,
  Flava Ceres quoties caeſa jacebit agris;
Cum te divulſum tellus peregrina tenebit;
  Interea ſciderit ſtamina Clotho mihi.
O vates utinam vanus mihi verba dediſſes!
  O utinam quis iter praepediiſſet obex!
Convixiſſe tibi modico quid tempore prodeſt,
  Tam cito ſi nobis eripiendus eras?

Paene erat optandum, nobis ne cognitus esses:
Est minor ignotis poena carere bonis.
Sed quae causa tamen te nostris abripit oris,
Et Latii in veteris pellicit ire solum?
Nempe vir est Italo multum celebratus in orbe,
Antiqua merito quem pietate colis.
Huic tua, qua praestas, sapientia, celsaque virtus
Pluribus exemplis, indiciisque patet.
Institor ut puras, quas parturit India, gemmas,
Sic animi dotes aestimat ille tuas,
Hic, hic te caras Patriae vult linquere terras,
Discat ut Oenotriae te quoque nosse plaga.
Hinc nihil obluctans natales deseris oras,
Promtus et Adriaci littoris arva petis.
Illius haud equidem Vatis tibi terra petenda est,
Quem fecit Latii Caesaris ira Scytham:
Nec tibi sors horum est, quos aut Rhamnusia vindex,
Aut livor Patrio cogit abire solo.
Quam petis e superum nutu; non Pontica terra est,
Qualem luctisono carmine Naso canit:
Taurica non Nesos, non Haemus, Caucasus, Otris,
Perpetua quorum culmina tecta nive.

Eu-

Europae at regio, qua non felicior ulla,
Quae ſuperat terras, Inde Sabaee, tuas.
Mitis ibi tellus, indutaque floribus arva,
Thymbra, thymusque viret; fragrat odore crocus.
Alta maritales ibi populus implicat uvas,
Miſſurus tumidis Maſſica prima cadis.
Culta Ceres gravidis ſemper flaveſcit ariſtis,
Heſperidumque inibi carpere poma datur.
Ipſa locum toto ſi quaerat in orbe voluptas,
Non alium toto mallet in orbe locum.
Nec tibi, cui tuto te credas, deêrit amicus;
Qui vero credat ſe tibi, multus erit.
Namque velut ferrum magnes, delphinas Arion;
Sic et tu quovis pectora capta trahis.
Ingenium tibi pro cythara, et facundia linguae:
Hac aures mulces, Orpheus utque moves.
Prenſabunt hinc te certatim, crede, nec ullus,
Qui tecum viſo vivere nollet, erit.
E cunctis unus te jam praeceſſit in oras,
Quas petis, amplexu ſtringere teque parat.
Haec ergo Patriae remorantis vincula rumpunt;
Haec addunt alas, ſubjiciuntque faces.
Vir praeſtans animi non uni affigitur orae:
Totus, ubi degat, Patria mundus, ais.



Nec tam facratis obftrinxit Czechia vinclis
Me fibi, quae pietas folvere nulla queat.
Diverfo duxiffe juvat fub climate vitam,
Et mundi varias incoluiffe plagas.
Nil horum inficior. Sed vultus cerne tuorum:
Quam tuus hic abitus fit gravis, oro, vide.
Vix gemitus retinent: vix flumina falfa coërcent,
Et mihi jam lacrymis lumina moefta madent:
Non fecus, ac nivium, quas mollit aquaticus Aufter,
Gutta per irriguas defluit acta genas.
Et cur non doleam, cum te difcedere cerno,
Qui fueras oculis carior usque meis?
Non fic Euryalum Nifus, non Caftora Pollux
Ardebat, Thefeûm Pirithousque fuum:
Ut te ego, qui minimus fum, Cardeline, tuorum,
Pars noftri o cordis, maxima parsque mei!
Sed quid amaffe juvat, fi, quem vix noffe fruendum
Coepi, a principiis furripit atra dies.
Tanto nunc dolor eft gravior, conjunctior ante
Quo tibi amor fuerat; quo cupit effe tibi:
Quoque tenace magis fibi nexu corda cohaerent,
Hoc minus avelli fe, graviusque ferunt.

He-

Heroum liceat per te hic mihi tangere faſtos;
Hi, quae ſit caros perdere plaga, docent.
Senſerat Herois Trojani hanc hoſpita, cum ſe
Deſereret Princeps regna Latina petens.
Senſerat hanc Phyllis Rhodopeia: Siccine, clamat,
Demophoon ſubito mi fugitivus abis?
Siccine terga levis mihi vertis? ſiccine noſtra,
Qua tam laute habitus, viluit aula tibi?
Senſerat hanc pariter Sappho, linquente Phaone
Cum caperet madidis oſcula maeſta genis.
Quantus formoſae fuerat dolor ille Calypſus,
Dulichius coeptum Dux ubi carpſit iter!
Diſſimilis ſunt haec, fateor, divortia ſexus,
Noſtra nec Idalius pectora jungit amor.
Quam vehemens tamen has urebat amorque, dolorque;
Tam vehemens meus eſt natus amore dolor.
Tantamque inferri mihi nunc vim ſentio, quanta eſt,
Cum membrum a membro falx inimica ſecat:
Aut cum glandifera a pinu divellitur ornus,
Quarum olim fuerant brachia juncta ſibi:



Tu ſine me, ſic credo quidem, novus incola terrae
Sub Latio poteris vivere ſole dies.
Nil opus obſequiis tibi noſtris, nilque favore:
Invenies alios, qui tua, teque colant.
Nec tam praeclarae mihi dotes. tantaque virtus
Eſt mihi, queis ego ſim dignus amore tuo.
At tua quam mihi profuerit propenſa voluntas,
Expertus nemo, prout ego, ſcire queat.
O mihi quam largum tua fontem abſentia claudet!
Haerebit lympha deficiente mola.
Langueſcunt nati, terreſtria ſidera, flores,
Quos gelida Alcinous non recrearit aqua.
Flacceſcunt ſegetes, imbrem ut negat aeneus aether:
Talis nunc heu me! fors mea forſan erit.
Solus ut obſcuro mihi vivere cogar in antro,
Vix, licet abfueris tu mihi, credo fore.
Vivam inter ſocios: dabitur, ſpero, unus, et alter,
Qui moeſtum recreet, pauperiemque levet.
At tibi, Cardeline! parem qui ſe mihi praeſtet;
Qui praeſtare queat, vix, reor, ullus erit.
Tu rerum fueras facundus praeco mearum,
Inque animo ſemper, ſemper in ore fui.

Tu dux, tuque comes, tu Conſus, tutor, et altor:
Tu magnes cordis, deliciumque meum.
O noſtri quoties haerebas liminis hoſpes,
Ut demonſtrares, quae tibi cura mei!
Impalleſcentem quoties chartisque, librisque
Alloquio ſcieras exhilarare tuo!
Affixus menſae, innaſcens velut oſtrea ſaxo,
Ne bona contererem tempora more meo;
Neque nimis ſenſus ſibi flagrans carperet aeſtus,
Ardoris curſus ſiſterc cura fuit.
Siccine, dicebas, chartis noctuque, diuque,
Ceu gallina ovis, incubuiſſe decet?
Non ego conatus tam pulchros damno; politae
Hae Muſae nunquam non placuere mihi.
Quod tamen his ſtudiis te juſto impenſius abdis:
Hoc bene mens cupiens nulla probare queat.
Quod caret alterna requie, durabile non eſt:
Inde novas vires membra refecta trahunt.
Membra veget requies; mens et veges inde novatur:
Neutra ſed aſſiduo carpta labore vigent.
Nec durare diu fas eſt. Citus occidet ille,
Qui prior in circo ſemper ovabit equus.



Cernis, uti nervus tento usque relangueat arcu,
Et nimium burres paſſa ſeneſcat humus.
Sic acies tua conſtanti dum cote politur,
Frangetúr, damnis attenuata tuis.
Ergo jube paulum, Colline, valere Camoenas,
Teque aliqua ſtudiis ſubtrahe, quaeſo, mora.
Sat tibi jam facies curis impalluit iſtis:
Fac, color ut redeat, fac, redeatque vigor.
Quam placide en ridet laetiſſimus aethere Titan!
Nubila nec triſtes ulla minantur aquas.
Quid vetat, in campos paulum exſpatiemur apricos?
Sic per membra calens bulliet ima cruor.
Sic pes; ſicque manus; ſic laxabuntur et artus:
Adjiciet vires viribus aura recens.
Haec tu ſaepe mihi, memini. Majoris at hercle
Affixum libris abſtrahere artis erat.
Tanto haud nempe ſuos ſtudio legit Euclio nummos,
Quanto ego verſo meos, numina muta, libros.

Audiî suadentem reverens, sed cara supellex
Addictum et nimius me retinebat amor.
Nec meus hic, in te quo, Cardeline, flagrabam
Hunc fuit, ut vehemens, exsuperare potis.
Saepius hinc tibi me studui subducere, vultus
Declinare tuos, terga relicta sequi:
Saepius obtentus (fateor; sed parce) dolosos
Quaesieram: evasi vincula saepe tua,
Integer utque mihi soli, Musisque vacarem,
Aegri scenam aeger mimicus ipse dedi.
Et sane poterant haec suffocare favorem,
Sic te itidem ut gereres, subtraheresque mihi:
Namque tibi ars tandem patuit versuta fugacis;
Prodidit indiciis se dolus ipse suis.
Perstitit ast a me tua nil deflexa voluntas;
Largifluus patuit fons, velut ante, mihi.
Laudasti ardorem, sed ne vehementior aequo
Is foret, huic fines ponere mente stetit.
Quo magis elabi ex oculis, manibusque parabam;
Hoc minus elapsus, te remorante, fui.
Si tamen excideram: fraude, effugioque reperto
Carcere, sed suavi, culpa luenda fuit.



Excusso quoties calamo, librisque remotis
Otia rupisti deliciosa mihi!
Plenis, esto, etiam cyathis Aganippidos undas
Potarem, flueret venaque larga mihi:
Tu tamen occursu subito, sitientis adhucdum
Dextra abstraxisti, nil miserante, labra.
Mox aut alloquio solitus divertere mentem,
Camporum aut mecum ferre in aprica pedes.
Scilicet in patula prout exercetur arena,
Ne diu agonalis stando pigrescat equus:
Sic ne Pieridum corrumpant otia corpus,
Jussisti motu membra frequente quati.
Id tu mente quidem recta: nimis attamen isthaec
A Genio visa est res aliena meo.
Ut, cum deliculus depellitur ubere matris,
Flet puer, haud aliter saepe querebar ego.
Ergo ne querulas mens concita surgat in iras,
Hanc miris placuit conciliare modis.
Hoc tibi praestabant medicae praeconia linguae;
Nectareae hoc phialae, deliciaeque gulae.
Herbipotens mani nectar, post prandia coctas
Detuleratque fabas officiosa manus.
Cum discumbenti tibi lautior offula venit:
Pars, velut ex pacto, venit et inde mihi.

Sic,

Sic, ſi cum parvis fas eſt componere magna,
Illiciis cicurem nutrit Alexis avim.
An majora ſibi ſpondere a Caſtore Pollux
Officia, aut frater fratre ab amante queat?
Sed quibus inſuevi (nam pronum aſſueſcere gratis)
Erepta heu tecum commoda multa querar.
Nemo ita pauperiem Maecenas porro levabit:
Nemo, qui laſſum ſic recreabit, erit.
Nemo propinabit toties mihi nectare cocto
Pocula plena, orbo deliciasve dabit.
Sunt equidem haec inopis tantum ſolatia vitae;
Nec tu non mage me, quam tua dona, moves:
Cum tamen abfuerint, quam durum erit hisce carere,
Quae fuerant uſu quotidiana mihi!
Tunc ego prolixos diſcam penſare favores:
Te mihi tum primum quid ſit abeſſe, ſciam.
Illecebras, quibus eſt imbuta, repoſcet orexis,
Tam cito nec dantis deſinet eſſe memor.



Nota feret quoties via praeter limina, vivax
Se toties oculis reddet imago tui.
Compiures, dicam, hic actae fermonibus horae:
Hic fua profudit dona Sabaea focus.
Et fors nonnunquam, velut effem ad pocla vocatus,
Errante ingrediar limina fueta pede.
Denique ut altorem quaerensque, gemensque catellus
Expofcit, cum fors extulit aede gradum:
Sic ego te tacito mecum fermone requiram:
Altor ubi, ah, meus eft? Ah meus Altor ubi eft?
Sed nil te nunc ifta movent: difcedere fixum eft.
Longius haud lacrymae te retinere queunt.
Unum ergo liceat votis ardentibus a te
Pofcere, germanus quo fine nullus amor:
Scilicet ut, quo te praeftabas pectore femper,
Abfens et talem tempus in omne geras.
Vellem ego me comitem, vellemque adjungere fervum
Me tibi, et extremis confociare plagis.
Sed quando id Superi haud dederunt: haec pergat imago
Tecum, quae noftra eft effigiata manu.

Non

Non haec Parrhaſium, fateor, non ſpirat Apellem:
Nec tibi tam hoc artis, quam ſit amoris opus.
Ergo pium capito carituri munus amici:
Tecum abeat, noſtras ſuſtineatque vices.
Aſt ego, qui neque te viſu, neque corpore poſſum
Inde ſequi, votis uſque, manuque ſequar.
Cardeline, vale! tua te laus inclyta nobis
Eripit, aucturus te Superumque favor.
Non tamen eripiet cordi: comitabor euntem:
Per juga, per ſilvas, per loca vaſta ſequar.
jamque iter ingredior tecum; jam cerno Tirolis
Quae tollunt Alpes ſidera ad alta caput:
Jam conſcendo rates, Adriae jam tergora ſulco,
Et jam Laureti culmina cerno procul.
Jam nimis abſtractum a patriis Oenotria terris
Me tenet, et civem non negat eſſe ſuum.
Fas erit hic notas audire, et reddere voces,
Multa loquar praeſens hic tibi, tuque mihi.



Hic laetos, semperque alacres agitabimus annos;
Hic mihi facundo fas erit ore frui.
Quos bene junxit amor, non distrahit ultima Thule,
Nec circumfusis, undique Pontus aquis.

CAROLI MICHAELER

CARMINUM ELEGIACORUM LIBRI III,

QUORUM PRIMUS EST

ELEGIARUM;

ALTER

EPISTOLARUM;

TERTIUS

CARMINE DIDACTICO.



IN POMPAM
FESTO THEOPHORIAE DOMINICAE
INGOLSTADII 1757.

Cum Elegiarum nomine non querimoniae tantum, ſed et varii generis jam apud Veteres argumenta alia ſenſim inſcriberentur: hic quoque iſta ab appellatione abeſſe invidiam, ac ſeveritatem oportebit. Ceterum in ſacra maxime quavis materia meminiſſe Lectorem velim, me tum, quando in his ſtilum exercebam, nulla etiamnum doctrina imbutum theologica, aut theoſophica penitiore, non niſi catecheticam ſpirare traditionem, nec proin niſi vulgi veluti ore loqui potuiſſe. Poſt illud demum, quo haec carmina pleraque concepta erant, ſexennium jam Theologos non audii modo, ſed et ipſe evolvi, atque inter ſe contuli: quo factum, ut multa haud paulo liquidius, quam adhuc antea, arbi-




bitrari poſſem. Neque eo ſecius tamen, quae olim effuderam, novis interpolare aſſumentis jam ſuperſedi; tum quia vix vacabat; tum quod manus in alias, atque ita velut in publicum jam quaedam dilapſa erant; tum nequid nativo annorum juvenilium colori diſſideret. Limae tamen poſtmodum non nullis, atque expolitionis quidpiam; pauculis etiam ad integritatem aliquid acceſſit.



Impariles Elegi, patri gratiſſima veſtro
  Pignora, adhuc infans, et ſine dente cohors,
Eſt animus vobis hodiernae gaudia lucis
  Pandere, ſub tacito nunc quoque quanta ſinu!
Feſſa tamen multo ſunt viſu lumina; ſenſus
  Uſibus innumeris ſuccubuere mei.
Namque adeo ſacra libuit me paſcere pompa,
  Dum non ſuppeterent res mihi, rebus ego.
Vix ubi jam valido dedit aes tria ſigna canore,
  Tympanaque, et feſtae percrepuere tubae;

Quis-

Quisque movent pompae ſeſe undique lege frequentes,
Ipſeque concurſu mox coit ordo ſuo.
Sic celerant, tanquam certi deducere ſponſum:
Fronte probant ſtudium, laetitiamque Dei.
Agmina ducentem teneri comitantur alumni,
Qui Genios ſimulant, virgineosve choros.
Quam recreant oculos toga candida, lilia, crines!
Cuncta recens veſtis, dignaque veſte gena eſt.
Artificum excipiunt paribus collegia junctis,
Atque etiam aetatum conſpicienda gradu.
Vexillis, nexisque inſignibus edere certant,
Ecqua magis feſto ſit ſtudioſa tribus.
Omnia quis numerare? Quis indumenta Virorum
Noſcere, quos mittit curia, quosque forum?
Mox etiam docti flos ordinis, atque Lycei
Agmine pullato turba verenda ſubit.
Parte alia grex virgineus veſtigia ſervans
Spectaclum pompae poſterioris adeſt.




Quam ſuperant hodie mage ſuda fronte Lacaenas!
Quamque puellari membra decore nitent!
Ecce petaurigeri, nexi qui tempora ſertis
Frugibus ex hornis ſpicea dona ferunt!
Ecce faces, albaque nitentes veſte miniſtri!
Ecce ſenes treviri, praevia turba Dei! (*)
Hi crotalum ſine fine rotant, quod et undique duci
Tinnitu celebri pertica ſtructa ſinit.
Tum juvenes cantare boni, moderante magiſtro.
Tympana qui pulſat, quam puer ille decens!
Jamque coronatos calices grex proximus aris
Virginea portant, munia prima, manu.
Mox et ſacrifico veniunt in ſyrmate Sacris
Jamjam operata cohors, cum pare quisque ſuo.
Ipſe venit tandem, lucis quem gaudia ſpectant,
Ipſe venit parvo magnus in orbe Deus.
Ipſe Pater rerum (Dignum eſt in genua revolvi!)
Tam bene qui nobis vultque, facitque, venit.

Hunc

(*) Tres enim tantum hoc cultu ſeniculos videram.

Hunc gerit aurata ſpectandum in ſede Sacerdos;
Nec tamen in tanto pondere ſentit onus.
O Pater! o generi nimium tractabilis Auctor!
Nonne igitur talem talia feſta decent?
Hunc ſuper intexto pandunt vela edita limbo;
Sic, ut idem Domino tecta ſequantur iter.
Qua graditur, rorata vias huic gramina ſignant,
Nec magnum eſt tritis ſaxa rubere roſis.
Addit et his mirum nova betula ruris odorem;
Nullus ut a puris ſenſibus abſit honos.
Nec deſunt, pretioſa ſolo qui tegmina ſternant,
Nec metuant duros veſte jacente pedes.
Accinxit lateri ſeſe Mavortia pubes:
Non alio vidi rectius arma loco.
Nam placido cum Rege chalybs certabit olivae;
Quando magis tutae pignora pacis habet.
Inde ubi jam greſſu proceſſit pompa ſecundo,
Diſpoſitis jacuit civica turma viris.
Nam ſimul ac rerum Domino fuit obvia, verſis
Procubuit telis: ſigna, ducesque jacent.



Sed litui, dulcique ſimul modulamine buxi,
Quorum acuit tereti roſtra canore labrum;
Cornuaque, et tibiae, et ſambucae mulſa ſonantes,
Et ſubito inceſſit muſica plena choro.
Dum Chriſti tantum mecum commentor amorem,
Quem pro tot meritis plebs ſua ſuſtulerat:
Jam ſuaves lacrymae mihi primo in limine ſtabant,
Nec fuit has facilis continuiſſe labor.
Scilicet huncce meum ſpectant hi iucis honores!
Sic colit emeritum poſtera terra Patrem!
Vix bona dicta precis: quatit auras ſaevus elater;
Omina ceu laeva dextera parte ſonent.
Congeminans miles jaculatur in aëra nubem;
Dum natat in liquidis altera nulla vis.
Nec ſatis eſt plauſiſſe ſemel. Bona nuncia Chriſti
E ſacro quoties codice Myſta canet:
Fulmineis grates reſonabunt faucibus aera.
Nempe quis armatas has neget eſſe preces?
Quam volupe eſt hodie tanti partem eſſe triumphi!
Atque utinam ex animo promere cuncta queam!

Sed quid sollicitae fodicatis pectora curae?
Vos hodie Cretum sub mare ferte pedem.
Seria cras redeant: elegis impune jocari
Fas hodie, atque animi simplicitate frui.
Nil ago: jurgatur nimis ambitiosa Sophia,
Ni vel lineolam vesperis addat opus.
Jlla suo tantum cupit usque includere ludo,
Nugarumque elegos mandat habere loco.
Esto: aliquid facili quando tamen impete lusi,
Ad Physicae redeo transtra relicta lubens.








QUERIMONIA
AD AMICUM,
CUM IN AMORES DILABERETUR.

Ingolſtadii 1758.

Facta erat haec elegia a me arrepta magis, quam vera quadam in cauſa, exercitationis potiſſimum opere; et hinc Amico, cui inſcribebatur, perquam jucunda eſt viſa; placuit enim tum ex contrario captata laudis opportunitas, tum et alluſio varia, dum veris ficta, et mulcentia pungentibus commode intexebantur, illi tantum plenius nota, cui haec ſcribebantur; interim nec aliis Lectoribus admodum peregrina.

Pauca





Pauca tibi, sueto cum vix sermone, quod opto,
Assequar, in versus ipse locutor agam.
Dic mihi, quid censes? Tamne est resolubile parvo
Fedus amicitiae, si bene juncta fuit?
Cornicumne oculos configere posse putasti,
Et fieri ludos me magis usque pati?
O satis est dudum, subeant ut taedia; quando
Pertaesum est itidem, poenituitque mei.
Jamque nec ulla subest deceptio. Tota refrixit,
Quae fuit ante, fides: nec simulare vales;
Nec simulas. Ipsa arescant tibi verba loquenti:
Quamlibet haec aliis gratis ab ore fluant.
Quid tua tunc plenis diducit labra cachinnis?
Lumina quid flectit? Quid jubet ire manus?
Dulcia mellito quid verba papavere condit?
Quid facere officium, praeque venire docet?
Cur ibi cuncta decet perferre, ignoscere cuncta?
Cur finis hosce tuos usque tenere forem?



Cur placet ingenium temere nugantis alumni?
Nil etenim tuimet conſcius ille timet.
Auſit idem, caveatve; tuus peccabit amicus:
Ni faciat, piger eſt; ſi faciatque, procax.
Quidquid agunt illi, loqueris, ſentisque modeſte.
Luſcus ero, ſi non hoc movet acer amor!
Haud procul a fumo diſtant incendia nempe;
Saepeque quod cinerem diximus, ignis erat.
Non erit ergo cinis ſaltem, quod flamma videtur,
Quodque ciet radios, id neque fumus erit?
Fumus is eſt, fateor, qui nos ut faſcinet, optas.
Flamma ſed indicio foetet operta ſuo.
Debilius Canace licet, atque modeſtius arſit:
Dum vidit nutrix, Aeoli, dixit, amas.
Nec tamen ipſe negas, ſi ſic convinceris; etſi,
Dum te ſtringo minus, tu fateare minus.
Si ſcio, non celas: notos mihi pandis amores.
Sed neque me cordis parte carere, refers.
Nam geminos uno ſub pectore fingis amores:
Alter at eſt petulans; alter honorus amor.
Ac ut es exemplis res illuſtrare peritus,
Ingenio veniunt hic quoque multa tuo.

Ecce parens binos magno diſcrimine natos,
Hunc tenere, aſt illum ceu ſapienter amat.
Aeſtimat hunc; favet alterius prolixior annis.
Si quaeras: puerum pluris habere neget.
Tota domus grata eſt domino, cui tota tenetur.
Sed tamen hanc omnem non colit ille domum.
Cella placet certe; placet, etſi nigra, culina:
Et ſimul in cella eſt rarior, adque focum.
Nec tamen haec (urges, o praedite nare ſagaci!)
Eſſe petunt illo, quo penetrale loco.
Tu quoque paſcis adhuc, queis et te paſcis, alumnos.
Quid vetat hos praeter me quoque poſſe dari?
Hi venient, quando Genium curare lubebit.
Me repetes, quoties porro ſevera placent.
Utilitas ego ſum: ſunt illi blanda voluptas.
Haec tu cum riſu munia nempe dabas.
Munia quanta! fero Pylades ſim mitis Oreſti;
Telemacho Mentor, Gallicus ille quidem.
Irato Senecam vis, et ſinis eſſe Neroni.
Tune igitur ſtatuis protinus eſſe Nero?
Unde tibi frontem, ſi me ſinis iſta rogare,
Nec tibi fors noſter cornua fecit amor?



Altera nota tibi ſunt munia, praeter amici?
Queis, rogo, me teneas ipſe tenendus item.
Quid fedus mutas; quod nos ubi junximus ambo,
Totus amicus eras; totus amicus eram?
Si grave non fuerit; tibi nam gravis eſſe verebor,
Quod noſti, dicam; quod neque noſſe negas.
Tu me, tu quondam duxiſti in federa primus,
Atque alii laudes increpuere meas:
Non ego quod praeſtans; tu nil praeſtantior eſſes;
(Nam cur me peteres, nunc quoque cauſa fugit)
Sed dotes quod nemo tuas tam ſaepe videret,
Nec, mihi quantus eras, conſpicerere meis.
Nunc dum vota tenes; dum toto es corde potitus:
Tu quod eras, ego ſum; dum tua vota tenes.
Nunc agis, ut de te nobis amor advena certet,
Meque, ut ne vincar, nempe timere cupis.
Nunc petis ipſe coli, qui ſic vix ante colebas.
Nonne ad prima queror ſumma quadrare parum?


Dum

Dum puppo intentus me ſpectes, limina ſervem ?
Plumbeus an non ſit, qui probra tanta ferat ?
Hos inter pullos partes diſcamus amici ?
Nunc tibi ſint illi, nunc tibi major ego ?
Quis neget hoc nimium cordatis poſſe videri ?
Qui nimis at carum ſe putat, ille negat.
Herculis Omphalee capti dum ſenſit amorem,
Ancillas inter ducere fila jubet.
Illa tamen nimium negat hoc ſibi poſſe videri:
Inſuper ad ſcuticas, ni velit, ille tremet.
Tu ſervum; ſervam ſed plus ego carpo jubentem;
Quod fuerit tanto turpiter uſa Deo,
Auſa gynaeceo (cave, ne ſub imagine narrem)
Multiplicem meritis aequiparare virum.
Tu quoque jam noſtri certus dominaris amoris:
Et placet iſte jocus, dum jocus eſſe poteſt.
Nam (quid diſſimulem?) placidi, inſonteſque lepores
Officiis ipſis praeplacuiſſe ſolent.
Nec tua libertas, neque me fiducia laeſit:
Quin precor, ut tali jure fruare diu.




Sed tu, quam liceat, pergis, dum munia confers.
Atria ſint alii pulchra, caminus ego?
Deprecor hoc unum; tibi dum ſubjungor amico,
Ne tuus hinc ultra mergere certet amor.
Quid niſi te ſatias cepit bonitatis amicae?
Si te laeſiſſem, mitior inde fores.
Ceſſantem ſequeris, ceſſasque favere ſequenti.
Hei mihi, ſi tali lege tenendus amor!
Nonne vel ipſe dolor placet; an plus incitat iras?
Qui ſic offendit, laedere tene poteſt?
Te totum poſco: nunc indignare fatenti.
Pars aliis petitur. Quae tibi cauſa placet?
Judice vix opus eſt. Salomon, i, divide, dixit.
Quae totum voluit, vincere digna fuit.
Atque ita ſi ſcindas partes, lacereris in illas,
Obtineat pretium quo ſibi quisque ſuum.
Diſpeſci non vis: ne divide munia, nec tu
Delicias aliis defer, honeſta mihi.
Triſte nimis munus tibi dicere ſeria ſolum:
Nec mihi ſunt ſemper grata, nec illa tibi.
Namque tu Epictetum te ſat triviſſe reponis,
Nec Senecam citra ferre cavilla ſoles.

Quin si me Senecam mentiri, improvide, cogis:
Delicias illum carpere nempe mones.
Et male conveniunt diviso pectora regno;
Et male conveniunt alter, et alter amor.
Sensimus o nimium, dum vix est tacta cicatrix,
Quantum sub tacito pectore vulnus hiet.
Jam patet, et frustra res dissimulata tenetur.
O mihi quam bello fraus patefacta modo est!
Dudum equidem sensi, sed tu mihi verba dedisti:
Alter erat petulans; alter honorus amor.
Nunc, age, fac, repetas. Petulans superaravit honestum;
Et patrem puero plus tribuisse patet.
Nec queror ista: modo cessisses lentius irae!
Tunc poteram noxas extenuare tuas.
Debueras niti; non rumpere lora repente.
Qui cito deseritur, vix amor ille fuit.
Mox ubi rem totam constantior ipse refeci,
Tu tibi ringendi nactus es inde locum;
Damnanti similis visus, similisque tenenti.
Scilicet est aliquid, si licet esse trucem.
Tum quoque me toto statuisti corde movendum;
Et vox debuerat ponderis esse loco.



Néque minus fureres, mox plura prioribus addis:
Quos riſi puppos, arctius inde tenes.
Quis furor, invita mentiri mente protervum?
Ad nuptum furias quis ſtimulare furor?
Nunc reputa, ſi tunc ſatis haec ego ſingula norim,
Arbitrium mentis quale fuiſſe putes.
Conticui ſane, ſtupefactus imagine rerum.
At ſcis: non ſemper, qui tacet: ille tacet.
Execror ex illo Puerum, qui concitat ignes
Immodicos; te dum ſuſtulit ille tibi.
Quod lubet, audebit; quisquis ſe novit amari.
Si lubet iraſci, quaelibet anſa ſinit.
Non equidem Patroclo ſic eſt trux uſus Achilles;
Hos at nempe pares fecerat alter amor.
Nunc aliquis curat, toto ut ſit vertice ſupra;
Nunc ſurgit, qui tunc ima legebat amor.
Ille quidem gaudet, quando ſua fulmina mittit,
Atque ſuis rixis pondus ineſſe putat.
Gaudet, ſi fugiunt; ſi dicant mollia, gaudet.
Non eſt indicium nominis hocce boni.
Vidi ego graſſantem per compita quaſſa juvencum.
Quid fuit? hunc nemo qui prope ſtaret, erat.

Multa ferunt homines: demum patientia ceſſat:
Et qui non repetit, nec repetendus erit.
Tunc mihi tu vultusque truces, curſusque feroces,
Utque voles, totam Gorgona fronte refer.
Hic licet, ut taceas: hic diſſimulato, quid optes:
Blandius hic alios (quando videre) voca.
Hic tibi mille nigros animo depinge colores.
Ira erit in toto haec fabula multa foro.
Non foedus rancor, non me civilis Erynnis
Hic agit. Eumenidum vos procul eſte faces!
Toxica quid nobis, quid fellea balnea proſunt?
Quid Genium Furiis propitiare lubet?
Vindictam ſpiro: mihimet plus nempe dolendum eſt.
Tunc ego ſum mitis, dum tibi ſaeva placent.
Forſitan et lepidis inſtauro federa dictis.
O qui laeſus adeſt, verus amicus erat.
Quid juvat at riſus intervallare dolendo?
Quid ſimul hinc gravis es? quid ſimul inde bonus?
Quid demoliris, quem vix exorſus amorem es?
Eſt malus? Unde, doce: ſin bonus: ergo tene.



Quid vertis tua vela retro, dum ſiſtere portu
Jam licuit? Quid mox poenitet eſſe probum?
O mihi ſi quanti eſt tua gratia, tanta patebit:
Prorſus in immenſum tunc meus ibit amor.
Indole tam praeſtans, et honoris mente capaci
Fac ſine felle merus jam videaris amor.
In te, quod vires, amor, ingeniumque valebant,
Congeſſi quondam; congero laetus adhuc.
Experiar, quaedamne fides conſiſtere poſſit.
Et puto, ſicubi quis, tu mihi ſtator eris.





IN FESTUM SS. ANGELORUM CUSTODUM.

IN RUSTICATIONE HELMONTIANA PROPE INGOLSTADIUM.

anno 1758.

Nemo sibi inusitata quaedam hic dona affectari, aut eis fidem aliquam asscisci opinetur: nam ex ansa duntaxat tenerioris cujusdam affectionis cetera poëtice contexuntur; uti res tum quidem et loco, et tempori, et opinionibus congruebant. Ornamenta haec sunt, sine quibus squalere, et languescere nostra carmina necessum foret, aliquando ex re nata conjecturam, aliquando interpretationem arbitrariam admittentia; sed neutiquam ad veri fidem serio exigenda. Ubi cum Jano, Marte, ac Venere amicissime in Fastis suis collo-



colloquitur Naſo, nemo utique veram ſuo animo ſermocinationem ſubjiciet. Quando porro Chriſtiano Poetae Mythologiam Graecam in materia ſacra paene omnem cum Rolliano non pauci ſublatam volunt: non ita conſtringenda erunt ingenia, ut non eis fas ſit, alia ſibi apte informare commenta.



Angele mi frater, quam poſſum fingere, pulcher!
Eſſe tamen juvenem, ſi ſinis ipſe: rear.
Gratior in pulchro veniet nam corpore virtus:
Rurſus et haec pulchrum reddere corpus amat.
Aſt alas non jungo tibi; ceu flectere ſueſſes
Retro; pharetratus ne videaris Amor.
Sed neque parvus eris: paribus namque utor amicis.
Nec te ſtringam ullo corpore. Mens mera ſis.
Angele mi juvenis, comes Angele, et Angele frater!
Seu cum carne velis, ſeu ſine carne placet:

Huc

Huc ades, ac tibimet ſociae ſuſpiria mentis
Excipe, ſintque aliquo quantulacunque loco.
Res certa eſt, me multa tibi debere miniſtro:
Quidquid es, et quidquid ſortis, opisve tibi eſt.
Hoc nequedum Sophiae potuit mihi prodere lampas.
Haec etiam in noſtra mente pependit inops.
Quod ſubtile mage eſt, quam vis electrica, neſcit:
Fallit eam cerebri nerveus ipſe fluor.
Sed tamen o major virtus! o civis Olympi!
O Princeps multi numinis inſtar habens!
Et ſimul Arge vigil, cui ſunt mea tenuia curae;
O ſemper vitae Praeſtes amice meae!
Ah ſine, pauca querar de me tibi: namque pudendum eſt
Certe, tot meritis non retuliſſe vicem.
Tu pueri ſine noxa inopes moderatus es annos,
Cum mea nec ratio, nec comes ullus erat.
Te duce ſana, veges, ſatis inculpata juventus,
Lubricitasque omnis caſſa cavente fuit.
Haec poſſim meminiſſe licet: tamen oſcula contra
De grato veniunt pectore rara nimis.



Ah pudet: et fateor! Sed ſi cauſarier ultro
Hic, citroque aliquid me ſinis: iſtud habe.
Nempe homines viſu dum ducimur, huncce quod altum
Effugit, haud tanti pendere poſſe datum eſt.
Dic mihi, quemnam opis occultae benefacta movebunt,
Si tamen obſequiis mutuus uſus abeſt?
Si, clam qui interſit, non obſervabilis ulli eſt,
Credibilisne oculo muta patrantis amor?
Hei mihi! me contra cauſas commentor inanes:
Culpa patrocinio concidit icta ſuo.
Nonne vel immemores conſtantia ſponte juvandi,
Et ſe diſſimulans gratia major erit?
Conſequitur duplici deberi nomine grates;
Majorisque ſubit cognitionis amor.
Nam deſiderium cujum eſt magis; illius ecquid,
Qui placide ſucco victitat ipſe ſuo;
An magis illius, qui pendet ab auſpice ſortis?
Hic, puto, quaerat opem, ſe faciatque parem.

Quae nimium diſtant, nunquam coaleſcere poſſint.
Hinc etiam eſt, quod nos altior ordo fugit.
Non penes eſt Superos divortiì culpa, ſed ipſos
Nos penes: a medio labimur usque ſtatu.
Hinc gradus eſſe nequit ſcanſuris altius: at nec
Faex deſcenſuris congrua noſtra foret.
Non caruit, candore bono dum quaerit honeſtum,
Aſſiduo Socrates ad latus usque deo.
Ah ſibi quis tantum nimis audax poſtulet? Aequa
Praeſtat cum reliquis conditione frui.
Si bene naturam ſequimur, ſatis eſſe propinqui
Poſſumus officiis pro vice quisque ſuis.
Sic mihi tu frater fueris; ſic ipſe viciſſim:
Involvet ſeſe mens mea mente tua.
Oſeula libabo non pervenientia contra:
Quae licet haud redeant: par erit inde ſapor.
Vel ſine voce poteſt ſe mutua jungere furtim
gratia. Nec dubium: ſenſimus iſtud heri.
De dape caeleſti, quam lux mihi poſtera ferret,
Premeditantis ubi lumina ſomnus habet:




O quasnam ſpecies mihi tum ſopor obtulit ille,
Ceu thalamo peterer, ceu thalamusque forem!
Ut capreas ſaltu vici, curſuque gigantem!
Caeſaries guttis humida noctis erat.
Nam mihi tam leni quaſſata eſt flamine nubes;
Quam Zephyri corylos exagitare ſolent.
Sic mihi ſunt tota Salomonis carmina nocte
Luſa; uti ſi ſcenam trudere ſcena paret.
Strata relinquenti bona mens ſeſe injicit ultro.
Tam mihi lux laeta eſt, quam fuit ante quies.
Exporrecta acies, mentisque innube ſerenum,
Temperiesque omni linpida viſa ſinu.
Mirabar, tam plena boni cur vena mearet;
Quid vellet linguae reddita lingua meae.
Et poteram, cenſor modo tum mihi ſcitus adeſſet,
Quis fuerim, noſci: frons redamantis erat.
Dum mihi Myſta legit: Pueri ne ſpreveris annos:
Tutor adeſt illi, qui videt ora Patris:
Hei mihi, clamabam! Geniorum feſta coluntur.
Quinam me latuit tam mihi ſacra dies?
Non latuit: non ille ſinit, cui tradita noſtri eſt
Cura, parentali ſanctior illa fide.

Me ſatis admonuit, ceu qui bene prodat amorem:
Riteque concepi neſcius ipſe faces.
Sympathos, ac id, quod vis eſt magnetica: durum
Quod proli ignotae non ſinit eſſe patrem:
Gratia quod praeſtat naturae myſtica; quodque
Ordine quo corpus congruit, ordo facit:
Scilicet hoc etiam nobis admoverat ignes.
Cor caluit, dum nec, ſic quod amaret, erat.
Nam neque corpus erat; neque corporis umbra; ſed ordo
Neſcio quis dulcis: cetera noſſe nefas.
Cauſa ſimul fugit: veluti fugis ipſe videri.
O tamen haud totum diſſimulare velis!
Cum didici primum; cum coepi ſcire, quod eſſes;
Emicuit caeco carcere clauſus amor.
A puero teneros alui de te, Angele, ſenſus.
Saltem erit haec feſtis annua cura tuis.







GEMITUS

AUGUSTINI, ETIAMDUM MANICHAEI, IN OBITU AMICI INOPINATO.

Ingolſtadii 1758.

Argumentum

ex lib. IV Confeſſionum, cap. IV. ſeqq.

In illis annis quo primo tempore in municipio, quo natus ſum, docere coeperam, comparaveram amicum ſocietate ſtudiorum nimis carum, coaevum mihi, et conflorentem flore adoleſcentiae. Mecum puer creverat, et pariter in ſcholam ieramus, pariterque luſeramus. Sed nondum ſic erat amicus, quanquam ne tunc quidem ſicuti eſt vera amicitia, quia non eſt vera, niſi cum eam tu adglutinas inter inhaerentes tibi caritate diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. *Sed tamen*

dul-

dulcis erat nimis, cocta fervore parilium ſtudiorum. Nam et a fide vera, quam non germanitus, et penitus adoleſcens tenebat, deflexeram eum in ſuperſtitioſas fabellas, et pernicioſas, propter quas me plangebat Mater. Mecum jam errabat in animo homo ille, et non poterat anima mea ſine illo. Et ecce tu imminens dorſo fugitivorum tuorum, Deus ultionum, *et fons miſericordiarum, ſimulque convertens nos ad te miris modis: ecce abſtuliſti hominem de hac vita; cum vix annum expleviſſet in amicitia mea, ſuavis mihi ſuper omnes ſuavitates illius vitae meae. Cum laboraret ille febribus, jacuit diu ſine ſenſu in ſudore letali: et cum deſperaretur, baptizatus eſt neſciens, me non curante, et praeſumente, id retinere potius animam ejus, quod a me acceperat, non quod in neſcientis corpore fiebat. Longe autem aliter erat; nam recreatus eſt, et ſanus factus. Statimque ut primum cum eo loqui potui; potui autem, mox ut ille potuit, quoniam non diſcedebam, et nimis pendebamus ex invicem, tentavi apud illum irridere, tanquam et illo irriſuro mecum Baptiſmum, quem acceperat mente, atque ſenſu abſentiſſimus; ſed tamen ſe jam acce-*

E 2




cepisse didicerat. At ille ita me exhorruit, ut inimicum, admonuitque mirabili, et repentina libertate, ut, si amicus esse vellem, talia sibi dicere desinerem. Ego autem stupefactus, atque turbatus distuli omnes motus meos, ut convalesceret prius, essetque idoneus viribus valetudinis, cum quo agere possem, quod vellem. Sed ille abreptus dementiae meae, ut apud te servaretur consolationi meae, post paucos dies me absente repetitur febribus, et desurgitur. Quo dolore contenebratum est cor meum, et quidquid aspiciebam, mors erat. Et erat mihi patria supplicium, et paterna domus infelicitas, et quidquid cum illo communicaveram, sine illo in cruciatum immanem vertebatnr. Expetebant eum undique oculi mei, et non dabatur mihi, et oderam omnia, quia non haberent eum. Nec mihi jam dicere poterant, ecce veniet, sicut cum viveret, quoniam absens erat. Et factus eram ipse mihi magna quaestio, et interrogabam animam meam, quare triftis effet, et quare conturbaret me *valde, et nihil noverat respondere mihi. --- Solus fletus erat dulcis mihi, et successerat amico in deliciis animi mei.*

Cap.

Cap. V. Et nunc, Domine, jam illa transierunt, et tempore lenitum est vulnus meum. --- Dicas mihi, cur fletus dulcis sit miseris. --- Unde igitnr suavis fructus de amaritudine vitae carpitur, gemere, et flere, et suspirare, et conqueri? --- Recte illud in precibus, quae desiderium perveniendi habent. Nunquid in illo dolore amissae rei, et luctu, quo tunc operiebar: neque enim sperabam reviviscere illum, aut hoc petebam lacrymis, sed tantum dolebam, et flebam: miser eram enim, et amiseram gaudium meum. An et fletus res amara est, et prae fastidio rerum, quibus prius fruebamur, et tunc, dum ab eis abhorremus, delectat?

Cap. VI. --- Sic -- ego eram illo tempore: et flebam amarissime, et requiescebam in amaritudine, ita miser eram, et habebam cariorem in illo amico meo vitam ipsam miseram: nam quamvis eam mutare vellem, nollem tamen amittere magis, quam illum, et nescio an vellem vel pro illo: sicut de Oreste, et Pylade traditur, si non fingitur, qui vellent pro invicem, vel simul mori; quia morte pejus eis erat non simul vivere. Sed in me nescio quis affectus nimis huic contrarius ortus erat, et taedium vivendi erat



in me gravissimum, et moriendi metus. Credo, quo magis illum amabam, eo magis mortem, quae mihi eum abstulerat, tanquam atrocissimam inimicam oderam, et timebam, et eam repente consumturam omnes homines putabam, quia illum potuit. Sic eram omnino, memini. --- Mirabar enim ceteros mortales vivere, quia ille, quem quasi non moriturum dilexeram, mortuus erat, et me magis, quia ille alter eram, vivere illo mortuo mirabar. Bene quidam dixit de amico suo dimidium animae meae; *nam ego sensi animam meam, et animam illius unam fuisse animam in duobus corporibus; et ideo mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidius vivere: et ideo forte mori metuebam, ne totus ille moreretur.*

Cap. VII. O dementiam nescientem diligere homines humaniter! O stultum hominem immoderate humana patientem, quod ego tunc eram. Itaque aestuabam, suspirabam, flebam, turbabar; nec requies erat, nec consilium: portabam enim conscissam, et cruentam animam meam, impatientem a me portari, et ubi eam ponerem, non inveniebam: non in amoenis nemoribus, non in ludis, atque cantibus, nec in suaveo-

veo-

veolentibus locis, nec in conviviis apparatis, neque in voluptate cubiculi, et lecti, non denique in libris, atque carminibus acquiescebat. Horrebant omnia, et ipsa lux, et quidquid non erat, quod ille erat, improbum, et odiosum erat; praeter gemitum, et lacrymas: nam in eis solis aliquantula requies. Ubi autem inde auferebatur anima mea, onerabat me grandis sarcina miseriae meae. --- Quo enim cor meum fugeret a corde meo? Quo a me ipso fugerem? Quo me non sequerer? Et tamen fugi de patria. Minus enim eum quaerebant oculi mei, ubi videre non solebant, atque a Tagastensi oppido veni Carthaginem.

Ex Retractationum lib. II, cap. VI.

In quarto libro, cum de amici morte animi mei miseriam confiterer, dicens, quod anima nostra una quodammodo facta fuerat ex duabus, et ideo, *inquam*, forte mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaveram: *quae mihi quasi declamatio levis magis, quam gravis confessio videtur, quamvis*



utcunque temperata ſit haec ineptia, quod additum eſt forte.

Supplementa poëtica.

Cum me exercitationibus poëticis darem, viſum eſt alieno in argumento experiri artis facultatem; ubi nulla rerum praeſentia fulciret ingenium, copiamve ſufficeret; ſed imaginatio magnam materiae partem utcunque ſuppeditaret, cum hiſtoria conciliandam. Atque in hac quidem commentarii fide ſtare pronunciatorem ſincerum oportere ſcimus. At in poematio nemo ſane requiret, ut ſint omnia jam in autographo expreſſa, nec Poëtae fas ſit de ſuo affingere, quae deſiderantur, ſiqua modo ſimilitudo veri adjungi ea patietur: cujus rei in Graecis, Latinisque paſſim conſtant exempla id ſibi ſumentium. Neque nimium hocce in genere contendiſſe arcum facile videamur, quando Auguſtinus ipſe ſua tum alacerrimi juvenis pathemata deſcribit, quae poſtmodum in Retractationibus paulum perſtrinxit. At quanquam hic quondam ſolutior: inſpicienda tamen et S. Ambroſii oratio in fratris Satyri funere, et ipſa commo-

tio-

tionum luminibus perlita: quanquam hic non modo gravius est philosophatus, sed etiam christianis institutionibus, atque perceptis ad dolorem obfirmatior fuit. Illud permirum, Amici nomen ab Augustino expressum non fuisse. Nobis commodum placuit Charidemum *appellare. Ac materiam quidem partim versu, partim prosa jam tum mihi totam descripseram. Sed expletis integratam lacunis alio postea in otio reconcinnavi.*

* * *

Nonne ego frustratus sum, siquis, funditus? Ille,
Ille meus non est! Esse nec ipse velim!
Ille meus penito tuleram quem pectore: qui me
In gemino penitum rursus et ipse tulit.
5. Quid sine me tibi, te sine, quid mihi dulce videri,
Aut ullum poterat nomen habere boni?
Lux mea; nunc mea nox! Tecum juvet ire sub umbras,
In tenebris saltem si simul esse queam.



Quis non communis fuerat limesve, gradusve?
Nec tuus unus eras; nec meus ipſe fui.
Sederat in ſocio noſtri pars altera major
Semper: et abſque iſto quis ſibi totus erat?
Quod fuit arbitrium diſpar, nec mente ſub una;
Relligio niſi quid ſurripuiſſe queat?
Nunc mihi qualis ades! Vix frigida membra tueri
Paulum etiam fas eſt. Sed meus ille fuit!
Eja age, dic aliquid: noſtris et age utere pactis;
Utere jure tuo: des mihi juſſa, rogo.
Manda, quidquid aves: nil me dictanda gravabunt.
Cuncta ſolens faciam: tu modo juſſa dato.
Me miſerum! Ille tacet! Sapidi plena ora leporis
Muteſcunt: glacies lumina triſtis habet.
Nunc quid agam, mea vita, tibi, qua vivo, ſuperſtes;
Aſt et vitae expers, funeris atque tui?
Hic ego, quas riſi, fidei conſtare vetuſtae
Fabellas optem, plusque valere Mane.
Carmine ſi, aut quavis flecti lex Ditis avari,
Portaque recludi ferrea poſſet ope:

Non


Non Erebi dominum dubitem pervincere ſuada;
Certe aliquas vires ſuppeditaret amor;
Orphea queis aequem voti ſine corde potitum.
O! videor minimo cautior eſſe metu.
Ah ibi tam quondam praeſtans nunc ſpiritus haeret
In nudis pavidus, pallidulisque locis.
Corpus adhuc praeſto eſt, veſtigia moeſta reſervans,
Quid nuper fuerit, dum Charidemus erat.
Hoc ego dum ſtringo; dum ſuavior: ah dolet altum,
Quod nil quidquam illi jam mea flamma tepet,
Non eſt, quod quondam ſic ad praecordia preſſi,
Ut nollem coſtas pectus habere meum.
Attrahit heu miſerum me funus, idemque repellit:
Cernere quando brevi eſt fas modo; moxque piget.
Jam me, quem teneo, tuor amiſiſſe: prioris
Dat mihi privignum mors inopina loco.
Vah inopina nimis, dum ſpe male freta ſalutis
Cura reviſendi non ſatis acris erat!
Ah quod perdideram tempus, quando ultima junctim
Spiritu adhuc poterant verba morante ſeri!



Non mihi fas oculos fuerat clauſiſſe notantis,
Nec fugientem animam colligere ore meo.
Gratia, ſupremos poſſem ſi ſugere ſaltem
His labiis ductus, quanta futura fuit!
Quid miſer hoc opto? tanto magis inde dolerem.
Sed tamen et dolor hic quam relevare queat!
Mitia nil proſunt miſerabile vulnus habenti:
Eſt ſatius nullum fletibus eſſe modum.
Indulgere juvat; quin et refricare dolorem.
Ulcus hiat manans; fonsque perennis adeſt.
Non equidem luctu porro revocabilis ille eſt,
Quem fleo, nec lacrymis hunc revocare paro;
Sed volupe eſt me flere; juvat quia, quidquid amarum eſt;
Quando boni aequiparant taedia moeſta fugam.
Vincet amarities major tamen usque minorem:
Dum nequeo damni non meminiſſe mei,
Quid juvit gelidum paulum vitaſſe cadaver?
Solvitur hic etiam, ceu cataracta, dolor.
Cur nequeo me ferre, ſimul nequeoque levare
Ipſe nimis factus quaeſtio magna mihi?

Qua-

Qualibet inſequitur, velut umbra, loquentis imago:
Undique, reſtet ubi, lumina noſtra rogant.
Ad poſitum rurſus pes ipſe revertitur. At nec,
Quod quondam imbuerat lumina noſtra, vident.
Non eſt ille prior, tenebris quem certus in ipſis
Diſtinxi. Quam nunc fallor ab ipſe die!
Ah nimium vultus, vox, atque inceſſus inhaerent:
Vellicor admonitu temporis, atque loci.
Quis ſibi mente queat tantum exturbare nitorem
Corporis, atque animi tam mihi molle latus?
Omnes nunc noſtris fixi ſunt artubus artus.
Tu quod eras, ego ſum. Me fugere ipſe queam?
Et quo me fugiam? Nonne huc tamen affero memet,
Et ſequor? Ah quî cor cedere corde poteſt?
Cur facies tibi tam ſplendens, tam lubrica cerni,
Mellea vox paribus ludere ſueta genis?



Cur tua caesaries etiam non comta decebat?
Cur tibi pellaci lumina fronte duo?
Cur humeri tam tornati post lactea colla?
Cur domus ingenii daedala forma meri?
Ut stupui! Ut melius caneres tute ipse lepores
Hosce tuos; alium si quærerere parem?
Quis mihi nunc hominum toto sit in orbe superstes
Tam deamandus amans, tam redamandus item?
Cetera sors reddat: mecum sed quis tamen isset
In ludum inde puer, conciliante schola?
Quis mihi municipem, paribusque invenerit annis?
Quis studiis iisdem, thematibusque parem?
Ut multum in variis partem comprendere fas est.
Perdidi in hoc plures, eximiosque viros.
Hei mihi! post demum subit actos pendere soles;
Quando carenda hora est, qua caruisse nequis.
Nempe ego, quod fugerem prius, exoptare misello
Nunc mihi cogor, ut hoc liber amore forem.

Ah utinam (quamquam durum eſt infanda precari)
Non junctus tanta ſis, Charideme, fide!
Atque utinam alterius deprenſus amore levaſſes
Non ſatis obnixum ſuſpicione caput!
Atque utinam poſſem tibi, perfide! dicere! Diras
Exſecror ah rurſum par male ferre meas!
Aſt utinam vel forma minor, vel ruſtica lingua,
Temporis aut grati crebra fuiſſet hiems!
Incauti aut vitiis ſcatuiſſes plenus amici,
Ut rimas ageret, quem taciturna decent;
Aut me delicias faceret, ludosve frequenter,
Mendacive ſemel garrula lingua ſono!
At nihil iſtorum paſſus ſupereſſe dolori
Frangendo, exacuis plus bonitate malum.
Oſſibus inde meis magis inſanabilis haeret,
Et raptum fruſtra quaerere cogit amor.
Quin etiam, dum tento tuum irridere lavacrum,
Quod mihi tam ſubita fronte ſeverus ades:
Nil haec libertas, nil me conſtantia laeſit:
Ex illo potius tempore pejus amo.
Nicetam mihi fingo velut. Reverentia juncta eſt,
Et pretium adverſo traxit ab inde metu.



Hoc querar; hoc tantum grave: quod tam ſerus amavi.
Et tamen a pueris gratia ſemper erat.
Nunc in amore novo ſpatium vix labitur anni.
Quantus hic a crebro vere futurus erat!
Quid prohibebat enim? Non diſſenſere parentes,
Sive tui ut, Thisbe; Pyrame, ſive tui.
Non epulis illi lucem ſumſere coruſcam,
Quin feſti in partem nempe vocarer ego.
Quae de me laudes ſonuerunt aure paterna!
Nec poterat matri diſſimulare faces.
Dein age, natalem quo pompae exegerat auctu
Ille meum, dubias me referente vices.
Ah in me certe ingenium ſtudioſus amator
Contendit, coleret qua ratione magis.
Dilexit certe. Quoties, ubi fabula de me,
Sublegi tacitus verba loquentis amans;
Atque ſuperveniens tento pede laneus illi
Auribus his hauſi quam mihi dulce melos!
Quid fuit iſtud, ubi ſuavem illum Morphea vidi,
Cum mecum e thalamo luderet ille loquax?
Ceſſerunt tandem vibrata per oſcula ſomni,
Victaque mox veris ſchemata rebus erant.


Aſt ubi reſcivit, quid neſcia labra ſubiſſet:
Quam gratus captae mentis hic error erat!
Nunc mihi vah mendax tantum mea gaudia ſomnus
Reddet abortiva quam breviora fide!
Reddet complexus; dabit oſcula, et oſcula fruſtra:
Nam ſimul evigilans omnia caſſa gemam.
Et tamen hic, quondam noſtri interruptor amoris,
Nunc pretium reliqua majus habebit ope.
Certe erit hic praeſto, qui ſemper imagine verſa
Aſſolitis eadem ter, quater ora refert.
Saepe et de dudum tricanti funere rapti
Verba dabit, veris falſa priora ferens.
Namque ubi convincet, manibus praeſentia tangi,
Uſurpari oculis, diluet ille necem:
Quin et ſplendidius mihi forte impertiet illum,
Ac veluti telo pectora foſſus ero.
Aſt heu quam gravius dolet irritata voluptas;
Mox ubi ſuſpirat luce nitente magis:
Dum deſiderio nil jam reſponſat amantis;
Sic ut, quae tenui, non reditura ſciam.
Ergone ſpes omnis ſummo mihi fine peremta eſt?
Nec lux me dulcis porro, nec hora manet?



Vivam ergo effetus, nervisque jacebo reciſis,
Et nihil ingenio porro micante loquar.
Jam mihi dic aliquis gravium de gente Sophorum,
Menſuris, numero, pondere cuncta geri:
Usque vel invitam reparari in fenora rerum
Naturam, ac fetu vincere damna novo.
Ah iſthaec jactura bono reparabilis haud eſt
Aut aequo, immodicum vel minuente malum
Momentis caret illa ſuis, caret ordine juſto:
Perpetua haec nullo vere ſeneſcet hiems.
Omnia diſpereunt uno pereunte viciſſim:
Nec numeros aetas hujus, et hujus habet.
Concidit ipſa fides, quam pangere ſuetus uterque
Perque ſui ſocii eſt oſcula, perque manum.
Non jus juratum ſibi conſtitit arctius unquam,
Vel Zeus per ſtygias cum rata firmat aquas.
Gratia tam vivax memori fuit oris amoeni;
Dextera Theſea tam pretioſa fide.
Jamque equidem puero nonne arriſere magiſtri?
Quidnam huic invidiae, quando praeibat, erat?

Quis

Quis non indulſit? Quis ſuccenſere ſiniſter
Poſſe? Nec in vultus haeſerit ante mora?
Dum mihi praecipue fert blandimenta, queisnam
Pupilla eſt gyris, malaque flexa plicis!
Cernere non iſthaec Mors lumine caſſa valebas;
(Arbiter inſcitus vel nimis inde fores)
Namque peperciſſet capiti tua falcula bello,
Ac certe hoc volucer transſiluiſſet equus.
Sed metere haud viſos rerum diſcrimine nullo
Barbarus heu nimium eſt hic tamen ipſe furor!
Hinc ego te nequeo non atrox ducere monſtrum,
Quod vel ut expeterem: rurſus at horror obeſt.
Eſſe quidem nolim, caſu tam ſtratus acerbo,
Qui citat auctorem te mihi nempe ſuum.
Te tamen in nihilum nolim exſtinguente reverti,
Aut ſtygios lenta puppe ſubire lacus.
Nam quid amanti amens faceres, ſi talis amato,
Et nimium digno, qui redametur, eras?




Hunc, quem jure pati nil hic mortale decebat,
Si poteras subita contenebrare manu:
Non te ego, dic, hominum totum genus ire peremtum,
Atque ictu celeri tollere velle putem?
Quînam igitur poteram superesse e strage relictus,
Communi obtrivit quem pede turbo tuus?
Nam mens nostra, diu dum jam mage vixit in illo,
Quicum concreta est, non sine morte fuit:
Dimidiumque sui, sensit, quo corda dolore
Divellat, scissas parte trahente fibras.
Ast simul una itidem mens haec in corpore nostro
Vixit, et hinc spolium jure profecto timet.
Nam metuit sibi tota mori; pars altera vitae
Cum queat in socii porro latere sinu.
Non Strophio genitus, famae si credere fas est,
Fratri Agamemnonio se superare tulit.
Et rursus Pylade haud sine vivere certus Orestes
Obstitit indiciis candidiore fide.
Incertumque Thoanta tenent, utrum ense feriret,
Dum stans pro socio certat uterque mori.

Scilicet alterutri, vel utrique excedere vita
Stabat, ubi haud una vivere porro queant.
Sed me diverſum rapit ingens funeris horror.
Vivere quam triſte eſt, tam quoque triſte mori.
Quo mage dilexi, tanto mihi acutius illud,
Quod fidit in gemino corpore Parca, fuit.
Et tanto fuga major, et horror, idem accidat ut ne
Et mihi, ſicque omnis vivere ceſſet amor,
At vivusne queam tantum perferre dolorem,
Quem nullis didici dimidiare modis?
Quaenam equidem injecit moderatio ſemper habenas,
Ne tamen effrenis tam foret acer amor?
Attamen haec nimia eſt, quae protinus omnia tollit.
Invidiae haec ſpeciem, forte latentis, habet.
Dulce bonum, Charideme, mihi! Quo tempore noſtra
Gratia conſtat, erat femina dulce malum.
Nunc mihi nil ſomnos praeter, tumulumque ſuperſit,
Et quae contuear mutua dona diu?



Hei mihi! nil iſthaec ſolamina languida profunt:
Viva ubi ſorduerant, mortua numquid habent?
Volvo, revolvo latus: tamen undique, et undique durum eſt.
Non aptum inveniunt pesve, manusve locum.
Non umbrae nemorum, nec amoena vireta tuentem,
Non ludi aſſiduum detinuiſſe queant.
Muſica praecipue nimis importuna faceſſat!
Cantibus in mediis me cruciatus habet.
Nullus odor ſuavis, Zephyri quem flamen ab horto,
Aut ab arenivagae littore portat aquae.
Tantalus eſuriens inter convivia verſor;
Sic tamen, ut praeeat nauſea capta dapes.
Odi ego, quidquid erit, quod tu, Charideme, vel in quo
Non eris. Haec abſint improba cuncta mihi!
Nec thalami poſſunt me delectare jacentem:
Dum mihi contigerat pectoris ara tui.
Hac ſine nulla quies eſt ſaucia corda trahenti:
Sed tantum gemitu, lacrymulisque levor.
Poſt, ubi defletum eſt, animi jam ſarcina rurſum
Corpore dura ſedet, conſiliumque fugit.

Bajulo conſciſſum, et requiem, ſedesque petentem;
Impatiens qui mox ipſe locare vetat.
Quod circumquaque eſt; quin lux offendit et ipſa.
Mentis ut expertes deſipuere libri.
Viſa diu jucunda ſatis mihi tecta Tagaſtae,
Verum triſtitiae nunc monimenta meae!
Vos me, jam video, demto exturbatis aſylo,
Expertem toto me facitisque ſolo.
Nam quocunque tuor, quo vertor, quoque revertor,
Solatiî reſonat naenia noſtra loco.
Solari caſum certe, mea Patria, velles:
Aggravat at, quidquid ſuggeris, usque malum.
Ubere pinguis agri, ac uvis celeberrima paſſis
Fers tamen haud loton, quae meminiſſe vetet.
Hanc Carthago dabit, veteris nunc aemula Romae
Eloquio melius, quam fuit ante ſago.
Haec ad Cyniphiam ſyrtim, ſyrtimque ſororem
Littore Lotophagis jam propiore jacet.
Nempe cicatricem ducent hic vulnera: nulla
Verberat hic oculos federis umbra mei.



Tam nemo miſer eſt, cui ſit pars nulla ſalutis:
Deſperare adeo eſt hanc quoque ſaepe ſalus.
Invenit en etiam noſtro ſollertia morbo
Exilium; dum iſtud conſulit illa mihi.
Oſtracus ut nullo me diribitore laceſſat:
Moenia me memori fronte paterna fugant.
Carmina non poſſunt oculis medicarier orbis.
Auguſtine, fugam, ſi ſapis, eja cape!





STANISLAUS

IN CULINA.

IN DOMINICUM BENDERUM.

Vita sancti illius Adolescentis iconismis expressa circumfertur: quos inter quidam et hanc in culina functionem exhibet: quando tirones sacros ad mediocris fortunae patientiam, despicientiamque sui eadem exercere mos erat. Ab hocce exemplo sumta est hujus inscriptio carminis de eventu persimili, in quem Landspergae ex itinere sub annum 1758 incidi. Neque exiguae mihi fuit voluptati, cum ferme biennio postea ab eodem, qui hic canitur, Bendero hoc de se carmen Rottenburgi itidem ex itinere apud Spennerum suum, cui illud transmiseram, coram esse lectum ex hujus litteris intellexi.





Eſt vetus, et longo lex inviolabilis aevo,
Quae monachum in clauſtris caedere verba vetat.
Poſt alios iſta in coetus diffluxit origo,
Tironesque ſacros arctius illa tenet.
Haec ſuperanda mihi non parva incommoda nuper
Praebuit, in montem dum tulit urbis (*) iter.
Huc Spennerus enim, magnum mihi nomen amici,
Mandata addiderat non violanda mihi.
Eſt ibi, dicebat, quondam mea vita Friburgi
Benderus, tiro ſed tamen ille recens.
Hunc videas, opto, et cures reſcire, quid illo
Fiat, et anne meus ſit tibi mirus amor.
Hoc illuc fore tendenti proclive putabam,
Si veniam affatus ab moderante petam.
Noluit arbitrio rem parvam ſtare ſupremo,
Aut ulla involvi ſuſpicione jocum:
Noluit alloquio ſanctam turbare quietem.
Quod peto, tu, dixit, diſſimulanter age;

Si

(*) Landſpergae: quae in planicie urbs ſita eſt; cum Collegium, et domus probationis in edito eminerent.

Si potes, ut volucres, Thomſonia turba, cohortes: (*)
Si potes, ut Genii miſſilis aura boni.
Multa quidem poterant ſpem decollare videndi;
Pandebant nullas oſtia plura vias.
Quid facerem excluſus? Qua ſemita trita, ferebar:
Quis mihi, quod multis fas fuit, eſſe neget?
Sed timidum ſenſi, qui clauſtra reſolvere poſſet,
Atque preces longa diſſimulare mora.
Non ita clauſa Charon tenet agmina nigra ſilentum,
Antrorſumque pedes, nec retro ferre ſinit:
Durus ut ille ſuos tenet arcto carcere Manes:
Quos ſimul abſtruſit, lux ſimul, inquit, obeſt.
Reddere propitium poteram meliore polenta;
Unguina ceu currus, quo bene currat, amat.
Sed tamen incertum fuerat, quid munera poſſent:
Et quid ſi necdum currus inunctus eat?
His mea ſe ſubito vertit ſententia fatis.
Deſine tu, dixi! Quod venit ultro, placet.
Ut votis melius potiare, quieſcere praeſtat.
Quam queat ingenium, fors dare plura ſolet.

De-

(*) Quas Thomſonus in Raptu comarum Sylphenas vocat.



Deferor in notam, qua neſcio mente, culinam;
Forſitan hic aliquid, quo juver, eſſe ratus:
Omnia nam noram, niſi me, quem juſſa trahebant,
Queis vafer, ingenio nil agitante, fui.
Munera cura fuit peruoſcere cuncta coquinae.
Conſulo dum tabulam, quod peto, nomen habet.
Lumina tunc miſi. Quod avebam, lumina certa
Reddiderant, alias non aquilina, fide.
Stare loco coepi. Foret o modo cauſa morandi!
Area conſilium ſed dedit ipſa cito.
Lixarum hic vidi numero de ſegrege quendam,
Qui cogunt madidis liba rotunda volis.
Hunc ego (nam licuit) verbis aggreſſus amicis,
Quae pridem noram, multa rogare diu.
Mens alibi fuerat: ſpectabant lumina prorſum:
Quae licet abfuerint, ſermo diſertus erat.
Haud ſecus, ac quamvis pugnantia ſomnifer Hermes
Lumina cuſtodi claudere certus erat:
Ille tamen modulo neque tunc errabat in uno,
Altera mente premens, altera voce canens:

Sic animo pariter per multa vagatus omiſſo
Narrabam ſocio ſomnia blanda truci.
Narrabam, ceu nota palam, diſtractus ab illo
Quod terris eſſem, qui mihi mente ſedet.
Narrabam, procul hinc quantum migraſſet. At illum,
Spennerum, latuit, quem loquar usque meum.
Sed tamen in ſicco verborum flumina fundi
Miratus, nequiit dicere, praeter: ita.
Non procul hinc contra (quo me tulit improba virtus!)
Conſtitit ad lintrem, quem petiere logi.
Conſtitit ad lintrem Juvenis ſollerte trecentas
Dextella lances, nigraque vaſa fricans.
Paene aliquis quadras iſſet Vertumnus in illas,
Atque foret rigidus; quo premat ille diu.
Spectabam dudum; ſpectabam ſingula, quae me
Cuncta miniſteriis detinuere ſuis.
Seu data ligna tulit; placuit data ligna ferendo,
Et ſimiles oculi ſemper amantis erant:
Seu ſtetit ante focum; pulchrum auxit flamma nitorem,
Dum vultum erudiit neſcius ipſe ſuum.
Vivida frons illi, quam dia modeſtia molli
Dejiciens cilio juſſerat eſſe ſacram.



Aemula Panchaeis ardebant labra pyropis;
Aemula Paeſtanis utraque mala roſis.
Hac quoque parte ſimul virtus, et amica juventus
Ludebant ſolio quaeque decora ſuo.
Vox quam dulce ſonans (coquus hanc dum forte requirit)
Quam mens pellucens lumine tota ſuo!
Squalebant viles per cetera membra lacernae,
Nec tamen, ut ſtuduit ſqualidus eſſe, fuit.
Sordida radebat: vel ſordida raſit honeſte,
Vernacula viſus nobilis eſſe manu.
At ſimul, ac ſocio Spennerum voce ciebam:
Saucius in veteri nomine totus erat.
Segnior in quadras ſtrepitum dare praepete dextra
Parcebat, vacuus ne ſuus iret amor.
Omnia captabat, vultum variante figura;
Jamque vigor frontem, jam rubor ora ſubiit
Jam propior ſtatione ſimul, propiorque loquelae,
Quo plura audierat, noſcere plura cupit.
Mox Rottenburgum magna dum voce celebro,
Quae Vatem eximium digna tenere fuit:
Hoc quoque perdidicit, qua ſit regione receptus
Ille ſuus, quem ſic ſemper amaſſet, Amans.

Sic tirocinii jura haud violata vel hilum:
Dicere quod licuit, fas quoque noſſe fuit.
Verba dedi ſocio: verborum meta Domingus.
Ignorans operam, ſed dedit ille lubens.
Denique narrantis functus cum partibus, irem
Prandia capturus; qui modo paſtus eram:
Ille quidem grates tenui mihi murmure dixit:
Sed valedicturus, ſi licuiſſet, erat.



FACILIS DE AMORE VICTORIA.

In amicum versatilem.

Hunc mihi cur toties fortuna veneſica junxit,
Qui curet; nequeat ſed tamen eſſe meus?
Allicit, ut teneat; neſcit retinere tenentem:
Et captat rurſum, rurſus ut usque fuget.
Ille potens vultu, verbis et leno diſertis
Quemlibet eſt natus conciliare cito.
Arctaque mox adeo properans in federa currit,
Deditus ut Pylades non magis eſſe queat.
Poſt ita non multo videas ſua quaerere tantum,
Semper et hanc buccam non niſi verba dare.

Jam

Jam pridem dixi: Non falſi crimen amici
Hic habet. En! prodit nolle dediſſe fidem.
Jam ſatis exactum hoc, neque ſunt documenta tot usque
Suſpecta, exemplo quae rediere pari.
Ille fidem certam munito pectore praeſtet,
Qui, tibi ne credat, ne pateatque, cavet?
Sic amat hic, dirum veluti cataphractus in hoſtem,
Qui ſibi pars animae debeat eſſe ſuae.
Ille animum premeret, ſi te captaret amîcum?
Quid niſi pro magnis abdita pauca refert?
Siquid amicitiae, ſi mens non laeva ſederet:
Haud adeo quidvis condere cura foret.
Siccine nictantis teneat nos luſus ocelli,
Speret et arriſu ſe retinere fidem?
Stulte, quid exquiris, quo demereare favorem
Hujus? Ab eventu eſt pendula quaeque dies.
Munere ſi grandi ſubito tibi victus adhaeſit:
Tunc aliquid dixit; tunc fuit ille tuus.
Si tamen eſſe tuus queat is, mox undique circum
Qui ſola conſtans mobilitate volet.
Haeret ubi, neque poſſe videt ſua, ſeque tueri:
Jam tibi deliciis omnibus ille madet.

Supplicat, extorquet, latus et premit aſſiduus Lar,
Ut liget ad ſtivam, quae ſit agenda ſibi.
Rem ſimul obtinuit, totum illi nempe peractum eſt.
Solus at eſt operae nil meminiſſe labor.
Vah! tanti non res, ſed verba juvantia vendit,
Et numerat vultus munera quaeque ſui.
Haec ad dimenſum poſtquam, nec plura rependit,
Jam velut in vernam lumen herile redit,
Quot fuerant illi pretio donaria magno!
Quam timidus tutas diſſimulavit opes!
Ac tamen in fructus alios partem ille vocavit,
Concubia veluti furtula nocte tegens.
Hic quoque, neſcio, quid ſimulat pietatis ineſſe.
Fuco at deterior culpa nec ipſa mihi eſt.
Nonne ego ſat novi tegetis ſecreta jocoſi,
Dum putat is triſtes ludere poſſe deos?
Tum modo, ſi luſo ſentit ſuboleſcere fraudem,
Jam verbis alio vertitur ille ſuis.
Devitat litem, palpumque obtrudit apertum:
Tempore leniri, quod nequit ore, putat.
Tum velut ex longo rediens arcana ſuſurrat.
Vix tamen hic aliquam ſuſtinet ille moram.
Sic paſſim repetit ceſſatos rurſus amicos,
Nempe novi cupidus noſcere ſiquid habent.



Si nihil emineat: curſu res ire priori
Autumat, atque alio mox quoque vela facit.
Sic redit in multis idem labor actus in orbem:
Deſerit, et viſit caſtra relicta frequens.
Non ſatius talem nunquam numerabis amicum,
Quam ſubeat laeſo federe ſaepe dolor?
Quid moror? Ipſe mihi dubitanti, deſine, dixit;
Dum fuerant verbis facta priora ſuis,
Sitne adeo labor hunc compeſcere durus amorem?
Hunc Plauti Antaeum non ſuperare queas? (*)
Hic vafra nec Circe fallenda, nec ulla Calypſo:
Nodus Odyſſeam nec petit iſte manum.
Ulla nec Auſonio mittenda eſt more tabella.
Sed tacita ſatis eſt dicere mente: Vale!

CAR-



(*) Conf. Plautus in Perſa I. I. 4.

CARMEN SOTERICUM

AD BEATISSIMAM DEI PARENTEM,

CUM EX GRAVI MORBO, VOTO AD EAM facto, et ex alia aegritudine, eodem renovato, convaluissem.

Quod supra praefatus sum ad Elegiam de Festo SS. Angelorum: hoc et isthic repetere Lectorem velim, fuisse hic Poësin receptas ad opiniones accommodandam, qua sine inductione nec carmen efflorescere potuisset. Est illud revera non nisi Eucharisticon adversus ipsum Deum, cujus providentia recuperatam mihi valetudinem gratulabar, quem quidem vicaria sub imagine opem ab ipso ceu principe, ac fonte poscentibus adesse rerum secundis inclinationibus, nihil ab summa bonitate abhorret. Ascita est autem isthuc tanquam conciliatrix persona quaedam eodem exemplo.

plo, quo inducitur apud Augustinum lib. de vera Religione c. 15, et Lib. X. de Civit. D. c. 12, atque in vett. liturgiis, illa praesertim, quae S. Chrysostomi fertur; ubi quaedam quasi cum Caelitibus conversatio continetur. Nec vituperanda haec putem, si bona duntaxat iisdem alatur affectio: quanquam nec malae contagionis isthic abesse periculum inficior, si vel paulum ad res materiatas isthaec adhaerescat religio, aut si fanaticae ceteroquin accedant opiniones, quas animus tanquam ratas, aut omnino certas complectatur. Hic tametsi plusculum indultum est effigiei semel arreptae: carminis id tamen facile excusabit necessitas: multum enim deperdidisset elegia, si frigidius rem coeptam poësis esset persecuta. Nec basis ceteroquin historica ad figmenta hic pertinet. Itaque licet interpretatio addita procedat longius, quam oportuit, aliorum quidem Poëtarum exemplo: tamen nec postea admutilare ista volui, quae secundum artis rationes sic cesserant; nec in sobolem, praesertim jam dudum manu missam, et ita conservatam, potestate patria uti severius est visum. Lucubravi autem hanc Elegiam Dilingae sub annum 1762,

Jam

* * *

Jam mihi continuo perſolvere vota vacabit,
Quando ita prolatas fert male Diva moras.
Scilicet admoneor morbo graviore prioris,
Et non ſuſpenſa vota patrare fide.
Carmen erat pignus: nunc tettia vertitur aeſtas,
Et nequedum grati pectoris exſtat opus:
Quod tibi, Divinae Genitrix digniſſima Prolis,
Vovimus, audaci vel pietate rei.
Atque equidem, ſi culpa poteſt molleſcere verbis,
Vix mihi pro tanto munere tempus erat.
Hoc quoque dignata eſt (quid enim clementius illa?)
Molliter admiſſa diſſimulare mora.
Nunc ubi concepi leviores ſumere curas,
Non jam fallendam ſe mihi porro dedit.
Scilicet et ſiquid gravius mihi mente ſedebat,
Non ratio Dominae major habenda fuit?
An vero, tenui pendet dum ſtamine vita,
Quae tunc Caelicolum nomina rite valent:
Poſt ubi tuta metu mens eſt propiore ſoluta,
Sint eadem minimo poſteriora ſcopo?
Non tulit hoc Virgo, famuli communia mundi
Quam voluit ſecum ſceptra tenere Deus.



Sed genii varia pro libertate vagantem
  Incluſitque toro, plusque minata toro eſt.
Et quamvis leve ſit, tamen haud leve Virgo remiſit
  Carmen, et hóc voluit: fecit id ipſa lucri.
Hic ego (nam monuit morbi vis intima mentem,
  Viſceribusque lues indubitata meis)
Hic ego pollicitum, contractaque nomina ſenſi
  Nunc primum vires exſeruiſſe ſuas.
Tunc ſubiit pietas, tunc coepit robur habere,
  Tempore quae longo eſt languida facta, fides.
Conſtitui, coepique ſimul; ſimul ipſa quievit
  Pro ſtudio tabes pulſa, reduxve meo.
Nec monitus bis rite, magis manifeſta requiram;
  Gratia ne fiat certa dolore meo.
Ah potius (ſiquidem Superis utrumque perinde eſt)
  Compenſem celeri longa pericla fide.
Inquirant alii, Divis mortalia curae
  Num ſint, et terris aſtra propinqua ſatis;
Sollicitentque, procul quae ſit fiducia flendi:
  Nos Divae longas ſenſimus eſſe manus.
Nam quid opus monſtris? Superi portenta roganti
  Malo per humanam gratificentur opem.

Si

Si valeant herbae, si certus in arte Machaon,
Hic quoque Caelicolum machina magna subest.
Humanus nec, siqua cadunt humanitus, auctor,
Nec posita in nostra nostra medela manu est.
Hoc Superi tribuunt, bene vertat ut orbita sponte,
Quaeque putes temere nata, favore movent.
Convalui. Dominae dignum est accepta referre,
Quam modo consului, consuluitque mihi.
Namque aut me, Medicosque mali natura fefellit, (*)
Aut ego non potui tam valuisse cito.
Tetra lues, memini, multis dedit aedibus aegros,
Et subiio nostros terruit aucta Lares.
Primus erat patria quidam de valle sodalis,
Quem premeret caeca mors taciturna febri.
Atque is de subito, ceu visis entheus umbris,
Non ero solus ego: sex fore constat, ait.
Exitus ille fuit: post funera sena quievit
Pestis: at aegroto cuique timenda fuit.
Me quoque luctantem lenti contagia morbi
Corripiunt, tussi, credo, parante viam.



Colligit ad colli pinguis ſe clauſtra Catarrhus,
Guttur et irritans ulceris inſtar habet.
Inde ſatus reliquos languor graſſatur in artus,
Et quamvis nullo membra dolore ligat.
Advertit tacitam rerum mens anxia peſtem;
Segnior ipſa licet cura ſtupore fuit.
Nec tamen abjeci moroſo corpora lecto:
Contemtu ſperans convalitura meo.
Forte levamen erunt ſtomacho jejunia, dixi:
Quis labor ingratis eſt caruiſſe cibis?
Hoc quoque tentavi, ſiquid ſudore ſalubri
Sive labor poſſet, ſive juvare quies.
En tibi praecipiti vis fortior impete ſurgens,
Conjicit in lectum neſcia membra ſui.
Jam ratio titubare vagis obnoxia formis,
Reddita nec ſanum verba decere caput.
Senſit: at errantes, quamvis conata, figuras
Impos ad officium mens revocare fuit.
Ut primum potui rurſum ſentire, quid eſſem,
In tacito coepi volvere multa ſinu:
Nempe ego difficili jaceo deprenſus arena,
Nec bona de criticis omina ſumo notis.
Pulmo riget: lapidem praecordia preſſa queruntur:
Integer in cerebri ſtat regione lacus:
Lingua caret ſenſu: nulla eſt cenſura palati:
Magna fames minimum par male ferre cibum:


Nec

Nec ſeſe inveniens certas Podalirius herbas;
Nec ſatis exactum, quid patiamur, habet:
Plus hebes ipſe mei potiori parte laboro:
Captus heri, valeo nunc quoque mente parum.
Sic animus rediit, necis ut mihi conſcius eſſem?
Forſan et hunc veniens auferet hora ſibi.
Incertum mentis quantum ſit porro poteſtas:
Virus heri ſenſi, quod ſedet intus adhuc.
Nec quorſum tabes evadere tentet, apertum eſt:
At ſubito vires, ut ſolet, illa capit.
Terret ad haec Medici dubitatio ſigna ſtupentis.
Dum ſtupet hic, tulimus funera quinque domo.
Pendet et in nobis: longinquas admovet artes:
Nec vitium offendit: ſic ego ſextus ero.
Hei mihi! marceſcam vegetis nil functus in annis?
Nec ſatis ex longo mors mihi nota fuit.
Nec meritis plena eſt, nec judice tuta ſevero
Vita hominis: numeros vix habet illa ſuos.
Quid jam conſilii? quo vertimur? undique clauſum eſt.
Tamne repente nigrae vita propinquat humo?

Quin ego Caelitibus ſupplex advolvor? in illis
Eſt mihi praecipuo cognita Virgo loco.
Semper opem implorata tulit: nil certius illa:
Neſcio quam teneram mi facit usque fidem.
Ah Auguſta fave (ſteteram ſors limina contra,
Contiguo colitur qua vetus ara loco,
Atque oculis Divam portantibus oſcula ſignans,
Sic animo, praeſens ceu foret ipſa, tuli)
Ah Auguſta fave! vox intima pectora rupit,
Sum miſer, et coepi poſſe repente nihil.
Tu niſi reſpicias, oculis dignata ſerenis,
Conſiliumque feras, Diva, ſalubre: fui!
Cauſa quidem nulla eſt, cur te mala noſtra moverent:
Nec titulum ſupplex iſte clientis habet.
Vita mea in ſtuduis; quae, ni mens laeva fuiſſet,
Cum Domina quanto dulcius acta foret!
Sed tua pro cauſa eſt, te cur in vota vocemus
Gratia ſollicitas prona juvare preces.
Non potes, o Caeli Princeps, contemnere vulgus,
Aut durum miſeris oppoſuiſſe latus.
An cum praebueris lac ſugere mite Tonanti,
Intra animum quidquam ruſticitatis erit?
At puto, ni penitus mentem caeleſtia fallunt,
Eſſe decet, Virgo, te velut opto, bonam.

Ah opto facilem; metuoque indignus, ut adſis:
Fallimur: eſt voto mollior ipſa meo.
Illa vel ignotis properat ceu nota medelam:
Illa prior partes conciliantis agit.
Nec tamen officii mea Diva carebit honore:
Digna meis curis, digna labore meo eſt.
In Domina, ſiquid mihi carminis annuat ipſa;
Ingenii totas experiemur opes.
Fac tantum, valeam: noſtro celebrabere verſu.
Ni faciam, Virgo, redde pericla mihi.
Sed faciam: te, Diva, modo praebeto benignam.
Sic gemui breviter, ſpeque potitus eram.
Spes ubi contigerit, voti damnere, neceſſe eſt:
Haec praeit eventus, ut juga Solis Eos.
Certa fides illi: quae nunciat, acta putentur:
Jus tenet in Superos, legis et inſtar habet.
Vix ego ſperavi, redierunt omnia menti
Jura, quibus dives quisque, potensque ſibi eſt.
Omnia, quae ringens paulo ante adamantina dixi,
Fluxerunt votis apta repente meis.
Non placuit Medicus: Medicum vitare ſinebar:
Juſſi alium quemvis ſiſtere: praeſto fuit.


No-



Nomine nec noram: sed me cito noverat ille.
Sic morbum didicit, consiliique modum.
Et cito profuerant herbae, cito facta medela est.
Luce minus gemina res mea salva fuit.
Jam Medicus curas alios traduxit ad aegros,
Quos eadem mecum pestis adorta fuit.
Tam cito convaluit nemo: sua quisque peregit
Tempora per criticos dinumeranda dies.
Illis pro magno lentam potasse salutem,
Et macie gracili vita redemta fuit.
Scilicet agnosco (et siquis manifesta negaret,
Illum convincam cordis habere nihil)
Te penes esse meae meritum, bona Virgo, salutis:
Me penes haud meritum est, quae scio certa, loqui.
Quod possum, facio: refero sua munera danti:
Haec toto nobis ore sonanda venit.
Saepe quidem, Divi, (pietas quoque grandis in illo est)
Saepe vel ignaris, clamque tulistis opem.
Sed mihi nulla, precor, meriti pars effluat hujus,
Gratia nec tacito te juvet ista sinu.




Me quoque noſſe ſinas, pictamque recente tabella
Hiſtoriam laudis mens ferat ima tuae.
Quam fueris velox, et quam ſtudioſa rogantis,
Et quam difficili tempore nota mihi.
Tam facilis, dicam, tamque eſt popularis in omnes:
Sic etiam celſo pectore cuncta movet.
Tam certam praeſentat opem: tam firma tenebit,
Quae venit hac membris conciliante, ſalus.
Tam cito propitiam, quin et tibi reddis amicam!
Plus habilis, Superi! num fuit ullus amor?
Quam rurſum fida eſt! Sed quam ſum perfidus ipſe!
At, mihi cum lubuit, me tamen illa juvat.
Nunc quoque quod feci, grates quod carmine dixi,
Non caret officium munere, Diva, tuo.
Nomina delenti nova rurſum nomina ſurgunt;
Dum mihi cum verſu creſcit amantis amor.
Emendas animum, te dumque ornando laborat,
Materia melior redditur ille tua.
Gratia ſic gratum facit, et mihi vincula nectit,
Queis jam me teneas, et teneare mihi.



Non hoc promisi, cum gratificata roganti es;
Nec potui: sine spe das, cumulasque reum.
Sic, quamvis sero dona haud indebita solvo,
Et tibi delicias dicere dulce mihi est:
Non tamen hoc agitur, grata quod mente paramus:
Nascitur ex tenui majus amoris opus.
Qui modo gratus eram, jam sum manifestus amator:
Ipsa mihi tribuit, quo dare plura queam.
Exiguum est votis fungi: res juris in illo est:
Cum solvit, quo vult, quilibet ire potest.
Me vinctum ad Dominam referunt data munera danti,
Affiguntque sacro pectora capta sinu.
Non sic illaesus vates mihi navus abibis,
Inquit, et hoc pretium laudis habeto meae:
Noster eris. Sensi flammas intrare medullam,
Et quod promisit, caelitus esse ratum.
Qui potis es dare dona, leves ne sperne poëtas:
Gens nimium Dominae semper amica sumus.
Virgo amat et versue, et amat bona Virgo Poëtas:
Nam cur in votum protinus illa venit?
Carmina Sidronio, Livino Carmina Virgo
Elicuit: versu salvus uterque fuit.

Carmina Sidronius pro caro fecit amico,
Et pro Sidronio Wallius ante tulit.
Vatis opus Vates certatim praestitit alter:
Et nempe in Domina quisque disertus erat.
Quid referam plures? quorum tibi, maxime Balde,
Concinitur nimiis, sicut amica, modis.
Horum ego mi cupiam felicem in carmina venam:
Hic Naso, hic Umber, Gallus et esse velim.
O ego si Dominae decorum facundior essem!
Aut utinam verbis subsequar illa meis!
Atque equidem, possum, siquid signare laboro,
Possum animi dictis sensa notare suis,
Sed tibi mille facit mens haec nova nomina, Virgo,
Queis vox est Latio nulla reperta foro.
Cumque aliquid dixi: jam dictum poenitet esse.
Ah facit ad mentis nil simulacra meae!
Talis es! et talem nequeo deducere versu,
Et siquid tento, jam neque talis eras.
Es bona profecto; sed quantum, dicere frustra
Experior: dictis plus juvat usque loqui.
Prcnior est, dixi, quam credo, quam volo, fallor:
Est, quam sustineam credere; prona magis.



Et tamen expertus nequeo data dona fateri:
Et tamen experto plura fuere ſuper,
Quae mihi, ſi vellem, ſpatium ſi pectoris eſſet,
Ut dedit iſta volens, porro datura fuit.
Mens eadem Divae eſt ad plura, et paucula dantis,
Quaque datura fuit plura, minora dedit.
Non ita me meritum capit, ut favor ipſe merentis:
Hic pretium magno munere majus habet.
Hei mihi quam res eſt hominum meruiſſe favores
Ardua: cum merui, quis tenuiſſe labor!
Et cum jam teneo, quis non mea munera prae me
Quaerit, et in vitiis lumina ſaepe tenet?
Tu pia amas gratis: et amas a ſorte relictos,
Nec tibi ruſticitas noſtra moleſta venit.
Ultro nos deamas: tua gratia quaerit haberi,
Atque reperta tenet, pro meritoque valet.
Sed tamen in multis, quorum te turba fatigat,
Reſpectu pietas eſt mage digna tuo:
Aſt ego quid jaceo (niſi quod ſis Mater amoris)
In tam divino crimen, onusque ſinu?

Perge tamen, pia Virgo (feres me praemia quondam)
Poſtremum in titulis me numerare tuis.
Perge tuos ſemper miſeris advertere vultus,
Nec te poeniteat, Virgo, fuiſſe bonam.
Sic precor usque tuas ſua lumina tergat ad aras
Spiſſa cohors veniae ſenſibus uncta tuae:
Atque ego perpetua celebrans ſoteria vita
Dicar abhinc decori convaluiſſe tuo.



(*) Praeſtantiſſimis Medicis; quibus in utroque morbo ſum uſus, memoriam, gratesque publicas debeo, Monachii Experientiſſimo D. Wutzelhoſero, ac Dilingae Celeberrimo D. Beckio.

DEPRECATIO

PRO PLUVIA

AD

SPIRITUM SANCTUM,

Augurio capto ex illis verbis Pſalmi 147:

Flabit ſpiritus ejus, et fluent aquae.

Spiritus aeterni Patris, Natique voluptas,
Cui concors virtus conſtat, et aequus honos;
Par hominum quoque gentis amor, par cura ſalutis:
Cum nato reficis, cumque Parente jubes.
5. Nec tibi ſunt minus, ac illis mortalia curae:
Tu quoque ſceptra tenes: tu quoque cuncta geris.

Tu

Tu facis, ut vaſto ſua lumina praebeat orbi
Sol, et nocturnos Luna reducat equos.
Te maris horribiles ponunt ſpirante procellae;
Arbitrioque tuo ventus, et aura volant.
Te ſuper undarum memorant freta lata revectum,
Cum ſub diluvio caeca nataret humus.
Quae tunc depuleras, idem quoque nubila reddis,
Cum ſitiens tardas terra repoſcit aquas.
Nam ſimul ac placido lenem das axe ſuſurrum,
Deque tuo modicum flamine flamen abit;
Confertae Domini pendent ad ſibila nubes,
Quae gravidum laxent imbre tepente ſinum;
Gutta premit guttam; fluit, et pluit aethere toto,
Statque ſub effuſo roſcida terra lacu.
Evigilant ſubito glomeratis gramina ſtillis:
Ceſſatum reparat laetior arbos onus.
Flosque, ſegesque caput tollunt, potantque ſalutem,
Et longae falci colla decora parant.
Denique conſpicuis quidquid modo ſubjacet aſtris,
Pendet ab imperio flaminis omne tui.
Unanimes, tenſis ſimul ad tua numina palmis,
Oramus, pluviis terra madeſcat aquis.



Deſtituunt ſoliti morientia prata liquores,
Officiumque negant nubila caſſa ſuum.
Pro Zephyris Eurus conſtanter inania verrit,
Atque ubi jam nihil eſt, ventilat ille nihil.
Eſt Notus in votis; Boreas optatur et ipſe:
Praevalet at Boreae, reflat et ille Noto.
Sic ubi perdurat ſegeti fatale ſerenum,
Terra arens caeli commoditate perit.
Pulverulenta macris paſſim ſterileſcit in arvis
Arbos, et ex illa pendula gemma pyri.
Hinc triſtes Pomona nimis minitatur abortus,
Quae plebi haud parvam pro ſtipe praeſtat opem.
Vere ſuo vitis promiſit ſiqua racemum,
Jam dudum ſucco caſſa peregit opus.
Sicca Ceres vacuis, ſatis ut palpamus, ariſtis,
Dum parcunt venti, ſolibus icta cadit.
Spes perit agricolae, ſudorque, boumque labores,
Annonae et clades inde verenda ſubit.
Exſuccum in campis pallet pro gramine foenum:
De ſtipulis nequeunt lac redhibere boves.
Quin etiam ante nives, dudum jamque ante pruinas
Depilis aeſtati eſt ſilva datura comas.
Undique pulvis adeſt: tellus agit undique rimas:
Heſperias queritur Teutonis ora faces.

Ergo

Ergo age, Sancte Deus, precibus mollite profuſis,
Da tandem, pluviis terra madeſcat aquis.
Terra madeſcat aquis! obſtant ſi crimina votis:
Fac ſaltem, irriguo pectora rore fluant.
Tu modo nos adfla: tua quando flamina ſpirant,
Lumina ſtant nimbis; corda liquata madent.
Ibimus: in lacrymis mittemus ſemina terrae; (*)
Fors aqua de noſtris magna ſequetur aquis.

Recitata in Templo Univerſitatis Dilinganae anno 1762.

(*) Alluditur ad Pſalm. CXXV, v. 5.

PARODIA
AD
FRANCISCI GUYETI
DIRAS
IN CEREVISIAM.

Repereram hasce Diras, fragmenti instar, pertenui in libello anonymo Bibliothecae Dilinganae, ferme sub initium, refutatione addita alterius generis carmine, quae Guyeto Poëtas Batavos, ac Belgas potissimum contra objectabat; in his, si recte memini, Grotium maxime, ac Dominicum Baudium. Quidni et Heinsios, Danielem, et Nicolaum, Janum Broukhousium, Johannem Secundum, Livinum Mejerum, aliosque? Mihi visum erat animi causa bene tornatos Guyeti versiculos per strigas distichorum excipere adversa-

ſariis: quo eſſet in utramque partem veluti alterna quaedam diſputatio.

* * *

DIRAE GUYETI.

Triticei latices, menſis Borealibus apta
Munera; ſed Celtis tetra venena meis!
Quae vos ſacra tulit tellus, quae numinis ira
Aemula Letheis pocula fluxit aquis?
Qui vos odit, amat Muſas: Bacchumque, Cyprinque,
Et Superos odit, ſiquis amare poteſt.
Vos vitiata Ceres temeratis devovet undis,
Nais, et averſis Cynthius horret equis.
Cui ſapitis, nihil ille ſapit, dignusque ſuillo
Jure ſit, et ſocios glandis habere ſues.
Qui bibet, irato tentabit Apolline carmen,
Arcadicosque dabit ruſticus ore ſonos.
Hinc Batavi, fumis Cerealibus ebria turba,
Carmina tot Muſis inficianda vomunt.
Et miſeri placuere ſibi, gaudentque profanas
Frondibus aeternis implicuiſſe comas.



At Deus e Pindo caecae deliria gentis
Ridet: et has poenas impietatis habent.
Ducite damnatos, gens barbara, ducite ſuccos!
Nectareus nobis proluet ora liquor.



PARODIA.

Arbiter Aonidum, Phoebique Guyete ſacerdos;
Sed noſtris nimium laeve, ſacerque tuis!
Dic, age, quid lupuli, Cereris quid munera tantum
Criminis, ut Lethe devoveantur, habent?
Utraque fraude carent: legit utraque ſaepe Machaon.
Datne, Jovis Pronepos quod probat, ira Jovis?
Stulta Ceres, partum ſi devovet usque, paritque!
Stultus et, in cunctos qui redit axe dies!
Jam coquus es, tibi dum ſapor idem eſt mentis, et oris;
Hac ſine cum Baccho deſipuiſſe potes.
Anne ita jus nequam eſt porcinum? His conſtat in oris
Vix noſtri et Celtas juris habere ſatis.

Num

Num Batavi fatuos Cereris vomuere vapores?
Gens Elegis nomen quae tibi majus habet?
Sit Gallis inflasse tubam, sit ferre cothurnum!
At dulces Elegos fundere Musa vetat.
Carminis his simplex non contigit illa Latini
Mollities: poenas has levitatis habent. (*)

(*) Hoc ea duntaxat tenus probabile, quoad Guyeti immodicae dicacitati opponitur: nam ceteroqui Gallis Poëtas Elegiacos non deesse confitendum erit; tametsi *Renatus Rapinus* (Reflexions sur la Poesie) vix quenquam eximium recensere etiamnum potuit. At aequalis ejus, *Petrus Sautelus*, tametsi inter principes Elegiacos reponendus fortassis non est, arcente eum ab hoc numero argumenti potissimum tenuitate; hujus tamen carminis lenitatem simplicitatem, atque Ovidianum colorem omnium, quos quidem audierim, judicio est assecutus. Postea et *Joan. Commirius*, ac *Natalis Steph. Sanadon* aliquanto parcius; *Johannes Bapt. Santolius* vero, et *Petrus Brumoy* copiosius Elegis operati sunt. Non parum in eisdem ingenii: at cultu, et amoenitate an *Sautelum* aequarint, non ausim decernere. Exemplo sint *Brumoji* Heroum Epistolae, quae, longissime abest, ut Ovidianas illas Heroidum aequis passibus sequantur.



Barbara ſit tibi gens; ſint barbara prandia: dum nil
Vina juvent, Elegos ut bene, Galle, canas!



LIBER SECUNDUS,

QUI EST

EPISTOLARUM.



EPISTOLA

AD

MAGISTRUM IGNATIUM STEUR

DATA INGOSTADIO

an. 1758.

O cujus nec magna ſidem intervalla locorum,
Nec longum potuit ſolvere tempus, ave!
Me tenet Anglipolis; te tempe pulchra Friburgi:
Ex quo nunc diſtas, annus, et annus iit.
Altera terra tenet; dat et altera gaudia tellus:
Altera pro Genio te quoque vita juvat.

Hic

Hic cum te poſcant ter mille negotia, nonne
Debueras dudum non meminiſſe mei ?
Tu tamen et perſtas, et dulcem ſaepe recentas
Navus amicitiam, litterulisque foves.
Nec dubito, conſtare tuis et pectora dictis,
Semper pollicitis uberiora ſuis.
Atque ita (nec facile fallar) mirabere ſane,
Tarda ſit ad tantas cur mea flamma faces:
Cur non ſparſa favo moveant me verba, fidesque
Tam mea frigeſcat, diſſideatque tuae.
Ergone non meminit? dices, ſi credere fas eſt;
Non meminit? Longa cura peremta die eſt?
Pluribus et forſan (niſi nempe remiſſior eſſes,
Et tibi mens praeceps in meliora foret)
Pluribus in lentum fors invehereris amicum;
Nuper ut impatiens vel Pater ipſe morae.
Sed quamvis cuperem praeſenti reddere cauſam,
Teque vel iſta domus, me teneatve tua:
Si tamen offenſam congreſſus proderet ora
Vix equidem a riſu continuiſſe queam.
Eſt mora longa ſatis: nec eam tu ferre recuſas,
Admonitu factus certior ante meo.

At ſi cauſa morae fugiat nova: (ſuſpicor ipſe)
Longior haec juſto, quamque feratur, erit.
Inveniamne fidem, nec tu ridebis, adhucdum
Si, tibi dum ſcribo, ſcamma vacaſſe negem? (*)
Namque tot una ſacris exemta eſt hora diebus,
Ut feriis ferias has caruiſſe querar.
Aſt ſat nempe cito, ſi ſat bene: nec male ceſſit:
Pro Sophiae ingenio mitis arena fuit.
Pugnatum ſatis eſt, ſatis et bene: vicimus omnes;
Etſi non nullis ſpes quoque major erat.

Secu-

(*) Scammatis nomine, ut Hieronymus impertit Epiſt. 61, ſpatium certamini definitum, et interdum foſſa circumdatum veniebat. Erat et Philoſophicam palaeſtram decurrentibus quoddam praefixum tempus, quo de ſe periculum quisque ante curriculi finem publice faceret: neque vero antea fas erat ad ſtudia amoeniora animum, niſi breviſſimis aliquando intervallis, traducere. Tum vero acciderat forte, ut ſolito longius ultra Reſurgentis Domini ferias tentaminum dies proferrentur. Deinceps jam otium manumiſſis dabatur, uti cum Muſis redirent in gratiam, praetereaque ut ad publicum ſe docendi munus compararent, varias per urbes primis ab rudimentis anno proximo, ubi ſcholae iterum aperirentur, auſpicandum, incertis interim, quae quemque eſſet ſtatio exceptura; quoad id moderantium nutu conſtitueretur.

Securum volucri pede nunc juvat edere ſaltum,
Atque animi nusquam diſſimulare jocum.
Jam licet in propria mentem regione vagari:
Nulla mihi gravitas porro timenda venit.
Frigida nunc calidis coëant, et mollibus hirta:
Nil moror: his ſalvis, quam libet, eſſe licet.
Sint tria nunc quatuor; ſit circulus ipſe quadratus:
Qualibus, et quantis eſt modo multa ſalus.
Nunc rude donatus; rudium mox inde magiſter
Propter Caſtalias deliciabor aquas.
Libera dum mens eſt, totum juvat ire per orbem:
Pervius ingenio quilibet iſthmos erit.
Pars ſacranda tamen curarum prima Camoenis:
Partem diſcipulis ſurripuiſſe decet.
Hei mihi! quis poſſet nigro carbone (nec angar)
Qui nos accipiet, pingere tecta loci?
Saepe tamen reputans, quo ſit me diphthera civem
Legatura, *arvi templa* futura puto. (*)


Aut

(*) Veldkirchium.


Aut ubi pelliti currunt in Gymnada παιδες; (*)
Aut ubi ſtat pingui turris avita ſolo. (**)
Nec ſi Landſpergae me deſtino, longius errem:
Nec procul hinc Patriae Mindela lympha tuae.
Quos ego tum pueros, hominumque elementa videbo,
Saxorum catulos, Deucaleone ſatos!
Eſto! nec invideo: melioribus alter Iulis
Cinctus eat; Mopſi ſint mea turba duo.
Hos tamen excipiam manibusque, ſinuque fovendos:
Gente vel in parva me juvet eſſe patrem.
Si vero intrepida potiar, vegetaque juventa:
Ut fatear, multis praeplacet illa mihi.
Sint o, ſint alacres Epaphi; ſint, opto procaces:
Sic, puto, curarum parte levatus ero.
Nil mihi cum mutis, qui clam ſua gaudia quaerunt:
Luce palam nugas ludere fraude caret.
Non amo, qui taciti per ſcamna extrena quieſcunt:
Qui fuerit vivax, indolis ille bonae eſt.
Sunt, quibus in vitio nemo excellentior unus.

Non

(*) Rottwila.
(**) Solodorum.



Non odi, lolium quos negat esse macros.
Hos ego prae reliquis errare in retia vellem,
Quos cornu grandes comprobat esse feras.
Aptior haec laqueis est praeda. Volatilis aetas,
Queis valeat duci, jactitat ipsa comas.
Indulgendum aliquid, sedato et corde ferendum:
Pertica nec puero est, quae foret apta viro.
Plaude tibi, argutam cui fert Brisgoja juventam.
Invidia hinc dignum, si potes esse, rear.
Alter at invideat; Pylades non ullus Oresti;
Non Ionathas socio, Pirithousve suo.
Nec me nominibus prohibe latitare sub istis.
Tu licet haud videas, sum tamen usque tuus.
Ut taceam, fiunt, quae vis, tamen omnia rite:
Tu me, quem cuperes, fac modo: prorsus ero.
Interea haec veniant tibi carmina grata, precabor,
Aque animo pretium qualiacunque ferant.
Sicca diu necdum potuit revalescere vena:
Scribo hodie, vixdum scammate liber heri.
Nec mihi Nasonis lecti sunt ante libelli;
Seu quibus ille gemit; seu quibus instat amans.



Sed tamen hoc placeat, quod, ubi ſum functus arena;
Quem colerem Aonio munere, primus eras.
Quare nil dubita: locus, at non pectora diſtant;
Pectora virtutis glutine juncta ſibi.
Qui valeas, ſupereſt, exquiram. Credo valere.
Recte ego nunc valeo: tu quoque porro vale.





EPISTOLA

NOMINE

WILHELMI BORUSSIAE PRINCIPIS,

MORIENTIS

ANTE DIEM SUUM,

ET STIRPI QUOQUE REGIAE

METUENTIS

AD

FRIDERICUM II, FRATREM, BORUSSIAE REGEM.

MINDELHEMII


MDCCLVIII.

Ad nullum, quod meminerim, carmen magis invitus adjeci animum, atque ad istud; tum quod Musa venustiore optabam alio in argumento ludere; tum quod ab isto pluribus de causis vel maxime abhorrebam. Sed constrinxerat me necessi-

tas

tas temporum, non perinde ubique alias imperiosa, uti tum mihi acciderat. Oportuit elegiacae me dare exercitationi inter prandium recitandae. Lubens id jussum capessebam: sed materiam deprecabar ejusmodi, in cujus accuratiore historia non satis tum essem versatus, et cogitatione praeterea, atque ingenio ab eadem alienissimus; quando fidem iis, quae vulgo sererentur, esse habendam ipsus haud existimabam: si enim, quod in Pausania Nepos memorat, de tali Viro suspicionibus agi non oportere, recte, ac graviter Lacedaemonii judicarunt: tanto item magis de tali Rege, qui res plerasque apud se unum constitutas haberet, rumoribus populorum pronunciari non posse intelligebam. Itaque hujus me operae in rebus tam mihi veluti peregrinis, quarum et assequi dignitatem perdifficile foret, vehementer sane pigebat. Neque tamen apud eum, qui rebus tum domi praeerat, excusatio ulla quidquam profuit: potior visa argumenti novitas, ab omnis plagii quam remotissima suspicione, et studiis ibi loci tum ferventibus velificatura; sed contra ea animo non perinde meo responsans. Igitur aliquando jam undelibet narrata arripere,

 at-

atque aliquid inde fabulae conſciſcere neceſſum fuit, praeſtituta mihi illa praeſertim Epiſtola, e Gallico germanice verſa, quae tanquam a Wilhelmo emoribundo ad Regem data circumferebatur, iſthic ad finem, ſi typothetae vacaverit, ſubjicienda. Hanc tum quidem intueri jubebar. Sed Superi! quid hic Ovidianum, quod a me exſpectabatur? Neque vero ita erat appoſitum thema illud ingeniis tum praeſentibus plerisque, quin ego multo meismet ſervire mallem pro loci captu temporibus, atque ad iſta proſecutionem accommodare, quam ea omnia, quae epiſtola vulgata ſubjiceret, perſequi. Ac ſine aliquo ſaltem cavillationis genere illis, qui ibi erant, auditoribus carmen non placiturum probe noveram. Interim ſic illud rurſus adverſantibus rebus curavi temperare, ut neſciam, an plus inde Heroi laudis naſci debeat. Atque ita apud ipſosmet tum arbitros minus aequos plus tamen valuit honor Regi habitus, quam ſi eorum ſtudiis indulſiſſem. Ceterum ſic poſtmodum ſcriniis elegiam hanc compreſſi, ut vix niſi duobus cum amicis ad breviſſimum tempus eam communicarem. Nihilo ſecius eſt aliquando de nocte a quopiam deſcripta, qui

mi-

mihi quinquennio postea Neoburgi sub annum circiter 1770 inter prandendum enarravit ipse, se totum hoc carmen suis publice discipulis exercitationis ergo dictasse, modumque aperuit, quo illo furtim esset potitus. Cui dum meum contra celandi studium suboffensus indicabam, non illam tacui causam, quod nimis quam intempestiva etiamnum ea mihi publicatio videretur: etsi enim secundi, qui Fridericum *comitabantur, exitus sinistrum omen quodvis diluebant, et bello jam dudum composito nulla superioris temporis obtrectatio infuscare summi Regis nomen poterat; eaque multo minime, ex qua ipsa plus in eundem redundaret gloriae: non oportuit tamen Musas vel amica dicacitate, quam imperiti rerum non satis intelligerent, in eundem ingratas videri, qui se illis semper munificum praebuisset, deque Viris doctrina, atque eruditione claris clarus et ipsemet ita fuisset promeritus, ut in ejus laudes conjurandum esse videatur. At ubi nunc ab obitu et ipsiusmet Commentariis Regiis, et aliorum variis supplementis ita illustrata sunt facta omnia, neminem ut perplexum tenere ejusmodi scriptio in speciem duntaxat adversaria queat: nihil est cau-*

 sae,




ſae, quin Elegia, hac praeſertim declaratione veluti dilutior, foras prodeat, quae meis ingratiis jam juſto temporius fuerat in publicum protruſa.



Dedicat extremam (fors eſt ea grata) ſalutem
Wilhelmus Domino, ſic vocat ille, ſuo.
Non etenim Fratrem temere, Regemveſaluto,
Nomine ne videar te cruciare tuo.
Seu Regem dicam, ſeu dulci nomine Fratrem,
De Rege hoc cogar, Fratreque multa queri.
Non igitur me forte, tubis aſſuete, rogabis,
An tua ſint elegis nomina digna cani.
Non facit ad mutos narratio muſica luctus;
Flenda recenſurus flebile carmen amo.
Nec metuas elegis heros molleſcere: clangam
Multa nefaſta mihi, multa dolenda tibi.
Blanda parum didici, qui curo vera tueri.
Mollia ſi prenſas, O cave, plura legas!
Et poſſem hoc, fateor, de te fortaſſe vereri,
Sed lege; ſunt animo digna pericla tuo.
Digna quidem certe: namque arguit, increpat, urget
Noſtra palatinum Muſa peroſa melos.

Quod-

Quodſi diſſimulas; moriens te frangere dicar.
Iſtane victori fama ferenda Deo eſt?
Congredere, o heros, et verbis verba repelle;
Hoſtis enim ſcripſit, ſunt quia vera, tuus.
Hic quoque Fermerus latet, hic quoque nomine tecto
Ille Bipontinus, Daunius ille ſubeſt.
Cum ſpernas alios, niſi queis confligere poſſis,
Has demum partes hoſtis amicus agam.
Omnia qui ſternis, morientia comprime verba,
Facque potens ſola ne videare manu.
Si tibi difficilem ſuperari in praelia poſcis,
Durus ero; ſed me durior ipſe dolor.
Quid furis, et gemino ſcintillat ſidere vultus?
Dic! hoſtis necdum ſufficit iſte tibi?
Ergo agedum! lege cuncta ſagax, ne praelegat orbis.
Nec tamen hoc cupio: tu lege; turba mihi es.
Aut ego collectos hodie relevabo dolores;
Tu dabis aut victas in mea verba manus.
Quidquid erit, parvi pretium fero dulce laboris:
Cuncta licet valeas, hoc prohibere nequis.
Unde ſibi frontem? dices ſermone rotato.
Nonne timet medius frater in axe Iovem?



Sed morior, Friderice, manum ſuſpende benignam;
Dum veniant iſtuc fulmina, funus ero.
Jam mihi nigra dies feralibus inſonat alis:
Hora mihi fatum bis duodena feret.
Nec doleo; graviora tuli ſub Fratre verendo;
Nec quam perdiderim, perdere plura queo.
Quid metuam fari? Satis eſt: mors obtulit anſam;
Cetera nam dudum jam mihi jura favent.
Nunc ego fas tueor, libertatemque parentis,
Tu nece decreſces; fio ſed inde potens.
Experior, quid ſacra manu ſit ſceptra rotare.
Vix tibi ſuccedens Rex, puto, major eram.
Da veniam, neſcire modum ſi forte videmur,
Et tibi non tecto pectore ſaxa loqui.
Mutat honor mores, Regesque potentia vertit:
Quod tibi contigerat, contigit ergo mihi.
Laederis his etiam? nolim patientior aſſes.
Quin age, cuncta nota, cuncta refelle, precor.
Utqueſcio, facies: facias, tamen inſuper hortor.
Non bene ſic ſcripſi, ni bene cuncta legas.
Si tamen admorſo ſapias piſcator ab hamo,
Et me capturus tu capiare meo;
Non ego te laeſi; tua te ſapientia ſtrinxit
Hoſtibus illa tuis, et metuenda mihi.

Namque ego te novi: damnas meliora, petisque,
Nec quae non laudas, ſemper inepta putas.
Quid tamen haec fateor? Quidſi mea verba ſequatur,
Et trahat inſidias in ſua lucra meas?
Ah ego conſiliis hoſtis quid demoror hoſtem?
Demens! vindictae qui ſtudet, ille tacet.
Frater in hoſte ego ſim? mihi Rex in fratre ſit hoſtis?
Ah ipſa impietas me probat eſſe pium!
Sed tamen audebo. Nequeamne expellere fratrem?
Quid mihi iam rurſus, dum loquor, ira cadit?
Mors, an amor mentem frangit, flectitque benigne?
At certe et mortis, vis et amoris ea eſt.
Nam Mors (quid taceam?) mors haec debetur amori.
Dic, Friderice, meae conſcius esne necis?
Eſſe potes, fame qui vitam mihi nempe tuliſti.
Gratia ſi cibus eſt, cogis obire fame.
Hoc quoque quis dubitet? neque ſeſe Eriſichthona ſolum
Paſcere carpendo juſſit acerba fames:

Achi-



Achitophell eadem fauces conſtrinxit hiantes;
Et quos praeterea longa referre mora eſt.
Nec quisquam eſt hodie, ſua qui, ſeſeque (favore
Ni valeat Regis) poſſe valere putet.
Ah fruſtra grandes animae! quae vivimus aura,
Et trahimus ſolo Regis ab ore diem:
Quae non carnificis, ſed honoris plectimur ictu,
Et morbum haud paſſae vivere deſinimus!
Aura ſalus noſtra eſt. an et haec queat ipſa negari,
Ac, ut aquae nautis per mare, menſa dari?
Toxicon hydra trahit; ſpirans hiat usque chamaeleôn:
Nobis aura minor, nec datur iſta ſatis.
Et tamen immitis Domini pendemus ab ore.
O tanti eſt tali poſſe placere Deo!
Et dare tu poteras; ſed non ego porro carere:
Nilque aliud, niſi te, te, Friderice, volo.
Tu tamen optantem ſurdus, ſurdusque petentem
Rejicis, O bellis durior ipſe tuis!
Sed quid te renuis? non eſt tibi tanta poteſtas,
Arbitrio cedant ut mea jura tuo.
Dilexi, ſatis eſt: quis non ſe tradat amanti?
Hoc quoque ni mereor nomine, frater eram.

Frater, amans, haeresque tuus mea jura reposco:
Hei mihi; quod tuus haec ſint mea jura dolor!
Cur ego Frater eram, teque auxi haeredibus haeres?
Ah crevit titulis aemula flamma meis!
Cur me progenuit, nec te naſcente quievit
Ipſe Pater? Culpam quo premet ille ſuam?
Nam tibi detractum, quidquid mihi ceſſerit ultra,
Eſſe putas; ſolus dum cupis eſſe potens.
Atque equidem tegis hoc; precor, ut ſic omnia celes:
Sed tamen apparet, quis ſit, et unde, dolor.
Dic, ego quid feci, niſi quod ſapuiſſe viderer,
Conſiliumque darem, quod patet eſſe bonum?
Noſtra placet certe ſententia: diſplicet auctor.
Quae ſi veniſſet mens tibi, ſancta foret.
Scis ſatis; et poſſim convincere quemque negantem,
Culminis Auſtriaci quam gravis oſor ego;
Quamque Aquila adverſis Aquilae ſuccreverit alis:
Qua domus incautam luſerit arte domum:



Inde quis impulerit merito ſtudia aemula rancor.
Non haec ad pugnam cornua ſera gero.
Quis mage Vindobonae conſcendere moenia promtus,
Atque futurus ego vel Remus alter eram?
Tectius aſt bellum captandum hoc eſſe putabam;
Nec tantae invidiae nos dare poſſe locum.
Saxoniae hinc ſuaſi, parcas; haec denique culpa,
Qua te debueram demeruiſſe, fuit.
Illa mihi fatum miſero vox duxit: ab illa
Peſſima mutati coepit amoris hiems.
Quo tamen offendi? eſt ſic quaerere poſſe voluptas:
Quid doleas, norim quamlibet ante, rogo.
Cauſa deeſt certe; ſi, quod cauſaris, id eſſet.
Qui tamen usque doles; non tibi cauſa deeſt.
O nimis actorum, nimiumque oblite tuorum!
Quid fuit in nobis, aemulus unde fores?
Scilicet inde doles. Sed tu rem corde premebas,
Incertaeque irae victima frater eram
Namque pudor fuerat, germanam prodere cauſam.
At qui comprimitur, plus furit ille furor.

Hinc

Hinc carui officiis; ſenſi male fidere fratrem;
Fors me zelotypum nunc quoque credis adhuc.
Quid fingis laevus? radios ego Fratris obumbrem?
Usque adeo famae neſcius ipſe tuae es?
Omnia ſolus agis, cuncta et ſine teſte gubernas:
Quis ſocium laudis me putet eſſe tuae?
Nexibus Europam tacitis ad vota movebas:
Applauſit ſtudiis enthea fama tuis.
Quis te non timuit? cui non tua cognita virtus,
Agmina cui ſubito fundere ludus erat?
Nemo ſago, par nemo toga tibi viſus in orbe eſt.
Sic eſt: nam laudis praemia nulla fero.
Non tibi Schwerinus, non Keithius obfuit unquam:
Laudibus in tantis par ego deſes ero?
Non ego Scipiades, non Martis Caeſar alumnus;
Quos prima tecum ſtare ſalute negant.
Mille viros necdum ſtravi: tu ſtragis acervos,
Et dederas fatis millia multa decem.
Fingito quin etiam, tibi me ſuccedere Regem.
Hic quoque lux a te non niſi danda foret.
Siqua foret ſpecies, tibi ne par eſſe viderer,
(Aulae nam mores calleo) cura foret.



Aſt ego quid facerem? quo tu ſatiabere fato?
Inſima quando petam, tu magis ima voles.
Nec tibi me, quocunque foco tua numina placem,
Ni miſerum videas, poſſe placere puto.
Plaude! tuis demum votis ſubſcripſit Olympus.
Jam vehar ad Stygios debilis umbra lacus.
Nunc tibi, nunc omnem licet exhaurire timorem:
Nunc ego te placido, ſentio, Rege fruar.
Nunc me, ni fallor, recoles, tutumque putabis
Jam bonus eſſe tibi Frater, et eſſe mihi.
Nil jam Germani de nomine gloria carpet;
Nil quoque jam metuet candor ab arte tua.
Curia nunc, urbesque mihi, et tua caſtra patebunt.
Quo vivo haud licuit tendere, ſponte ferar.
Nunc mihi concilium venienti aſſurget, et alta
Excipiam veſtros mortuus aure ſonos.
Hic ego vos inter thalamo compoſtus in atro
Semidens dicar: gratia tanta mori eſt!
Quam toties ſuaſi, pacem quoque prodigus addis:
Scilicet occumbo denique pace tua.

Omnia nunc ultro, nequeo quae poſcere, reddes:
Quin et, quae necdum ſunt tua, forte dabis.
Et metuo, ut lacrymas teneas non ſponte cadentes,
Et non ter laeto pectore multa gemas.
Tantos Wilhelmo paſces moriente dolores,
Quantos vix Dauniî de nece victus alas.
Hoc quoque (ſi ſupereſt aliquis poſt funera ſenſus,
Taenara nec tenebris ſunt mage vana ſuis)
Hoc quoque Tartareis ſocius memorabo colonis,
Senſus et usque tuae mî pietatis erit.
Vivus, an emoriens fuerim felicior, aegre
Aeſtimo; laetari tempus utrumque jubet.
Nam mea mors vitam ſolatur, vitaque mortem:
Eſt mihi, quo moriar; quo moriensque fruar.
Dun vixi, mea mens, mea cum ratione voluntas,
Et mea venturi praeſcia cura fuit.
Dulcius his aliquid cuperem? quin vivo coaevus,
Dum, tibi quod ſupereſt temporis, ante ſcio.
Dum morior, mea res mecum ſimul ibit ad umbras:
Id mihi mentis erit, quod mihi mentis erat.



Hactenus haud a me, fateor, tua curia ſtabat.
Regis ad ingenium, quod dolet, illa probat.
Nunc aliquis dicat: ſolus tu deſeris omnes.
Dum feror ad plures, non ego ſolus ero.
Hic quid avus dicet? Genitor quid ſentiet ipſe?
Adverſosne meis partibus eſſe putas?
Quam mihi Saxonico conſentiet orba Sigaeo,
Cum veniet paſſis triſtis Eliſa comis?
Quid Brachius gemet? exiguo quid et Hornius ore?
Quidque Duces quondam, pallida turba, tui?
Quid Fridericus agit? vario agmine circumfuſi,
Perquirent: pugnas pugnat an ille ſuas?
Jamque diu his rarus ſuccedit ſedibus hoſpes.
Fors piget, et coeptam deſerit ille viam?
Ah utinam poſſem tacite quaerentibus iſta
Dicere: Ceſſavit! cum Patre fleret Avus.
Fleret enim; qui nunc patriis de devovet umbris,
Utque mori poſſes, mortuus eſſe dolet.
Sed fuimus Troes, fuit Ilium, et inclyta fruſtra
Patria, quam, dubito, noris an eſſe tuam.

Quis furor eſt, totam rapidis ſimul obruere armis
Europam, et Reges ducere ceu nihili?
Nonne, ita qui ſurgis, vinci, quam vincere mavis,
Quodque diu crevit, perdere ſtemma cito?
Pergama conjunctos non ſuſtinuere Palaſgos:
Tu conjurati victor an Orbis eris?
Vel nova, ſi mavis, Troja eſt, quae Dreſda vocatur:
Et foret hic Helene, quam Menelaus amat;
Tu niſi-quin taceo? nec enim tuus enſis in illa eſt.
Vivere ſed populi te vetuiſſe putant.
Saxo dolens falſum, quamvis invitus, amicum
Te vocat, atque oculis vix habet ille fidem.
Intrabas Tutor: vix es, Friderice, receptus,
Mox Regem, poſſes Tutor ut eſſe, fugas.
Subditus exortum ſua lumina vertit ad aſtrum,
Hunc quoque, quod cuperet, non ſinis eſſe tuum.
Scilicet hoſpitium miſer incola ceſſit echino:
Vix patuere Lares, undique tela rigent.
Ter, quater emulges; civem conſcribis ad arma;
Hoc quoque qui plangant, non ſupereſſe ſinis.
Quid metuant hoſtes, ſi ſic periere clientes?
Et tibi, ſi vincat, quam gravis ultor erit?



Non hic Saxoniam laesisti: Gallia frendet,
Imperiique tui, non tua turba, Duces.
Est laesisse parum: quid probra doloribus addis ?
Quid verbis acuis concita corda novis ?
Quid simul insultas ducibus, sannisque triumphas?
Haec licet haud addas, Gallia laesa sat est.
Omnibus arma moves, et ab omnibus arma moventur;
Namque tuis fenum cornibus esse vident.
Danubius, Rhenusque, Albisque, minaxque Visurgis
In tua conjunctis regna feruntur aquis.
Sauromatae Lemures, pellitaque spectra Rutheni
Contra Aquilona truces ex Aquilone ruunt.
Suecia, sit quamvis non irritata, movetur,
Exemploque facit commoda furta tuo.
Non tibi jam Carolus, non Apraxinus oberrant:
Quos duo tu poteras vincere paene sedens.
Sunt tibi Castra senis Dauniî, sunt otia clari
Ipsa Viri, et cunctis tuta timenda locis.
Quot tu nunc Aquilas, quot nunc, Friderice, Leones
Irruis, hasque truces unguibus, hosque jubis ?

Si de tot populis belli sibi commoda quisque
Quaerat, an in poenas sunt tua regna satis?
Tu tamen haec tumida frendens Mavortius ira
Despicis; adtonitum quamlibet esse putem.
Forsan et inde doles, quod tam bene singula narrem,
Et notet errores calculus iste tuos.
Omnia nunc laedunt, et te res efferat ipsa,
Ut clausam furiant ipsa pericla feram.
Quid tamen haec prohibes fari? fors ipsemet olim
Wilhelmus, dices, hei mihi cautus erat!
Nunc quoque nec dubito, cernis discrimina. Sed jam
Alea jacta semel; tessera fracta simul.
Nunc revocare gradum pudet, et perrumpere certum est:
Nec relegit Phaëthon, quod male coepit, iter.
Qua via prona, ruis: sed qua ruis, omnia vertis
More feri campos depopulantis apri.
Quodque nec ipse probas; tamen ut juvet, imperat ira.
Verbera dum reddas, verbera ferre parum est.

Dant animos plagae, repetisque cruentus arenam:
De pugna ſonuit; nec procul arma tibi.
Vix cernis tua caſtra, ſinu micat entheus ardor.
Pax tibi ſi redeat, tu moriere, reor.
Quid tibi cum regnis? ſola eſt tibi gloria regnum.
Quid tibi cum Patria? plus aliena juvat.
At mihi cura domus tenui tibicine fultae,
Et, quamuis prohibes, eſt mihi cura tui.
Littora me quamvis teneant; ego lumine ſicco
Naufragii nequeo fruſta videre tui.
Aut citius moriar, vel te moritura tenebit
O tibi Wilhelmi ſemper amica manus.
Haec mihi ſupremam dictavit cura tabellam:
Haec hoſtem in placido fingere fratre jubet.
Subjicit iſta preces, bene conditione reperta
Tutius ut ſtudeas pacis inire vadum.
Claude, precor, Janum! Quid proſunt Martis honores,
Serius aut citius, ſi domitere tamen?
Ut partem effugias, non cuncta pericula falles.
Lautius ut pereas, quid tibi vile mori eſt?
Quid grandire juvat ſub Tartara more tyranni?
Nil ago! tu naſum rhinocerotis habes.

Scili-


Scilicet iſtud agis, tellus ut terribilem te
Sentiat admirans: ſcilicet iſtud agis.
Sentit, et hoc ultro trepidans Europa fatetur.
Ut minus obſtupeat, tu tamen ipſe facis,
Plus timuit, recto dum ſtabant omnia talo.
Jam numero frangi te quoque poſſe putat.
Quam tu nunc quaeras, plus te celebraverat olim.
Nunc tibi qui plaudit, deſinit eſſe probus.
Sed neque nunc carpam; dudumque in Vulpe Leonem,
Robur et obſtupui calliditate pari:
Quemque truoem dixere alii, exlegemque tyrannum;
Pro truce, Wilhelmo judice, fortis erat.
Fortia ſic utinam Frater decernere poſſes,
Ut, cum decernis, fortiter ire ſoles;
Et ſic velle queas, ut, cum vis, addere pondus!
Omnibus heu non eſt omnia poſſe datum!
Tu ſapienter agis, quod non ſapienter es auſus,
Saevius utque furas, cum ratione furis.
Me miſerum! laudaſſe ipſos jam poenitet aſtus.
Nempe tuae fructum laudis et hoſtis habet.
Gloria ſi fuerit tibi tot laſſare phalangas,
Gloria tam fortem vincere major erit.



Finge tamen, dubii me Martis imagine ludi.
Ah cupio mendax in decus eſſe tuum!
Finge tibi, dextro te ſternere caſtra Gradivo:
Vulneribusne putas hoſtis amicus erit?
Omnia prome licet: ſed ſcilicet omnia promis:
Hoſtem, quid caveat, ſic tamen ipſe doces.
Ipſe mones, qua parte petat, fruſtraque videnti
Retia mira paras: ars latet arte nova.
Quod facis, hoc dudum (ſua ſit reverentia vero)
Vidimus; et placuit fabula nempe recens.
Roſcius infelix, ludum qui ludis eundem!
Oblitos Reges credis an eſſe doli?
Tutor ades rurſum. Sed jam veſtigia terrent;
Antrorſum ſpectant omnia, nulla retro.
Nec, quam Guſtavus poteras obtendere cauſam,
Sannio qui paſſim relligionis eras.
Non tibi Cadmaeos lapis hic collidere fratres.
Nulla laceſſito Saxone Roma ſubeſt.
Ipſa etiam Generis nocuit fiducia noſtri;
Hoſtibus inque tuis ſcriptus uterque Socer.
Nunc age, dic, certum qua te fore parte putaſti,
Cum canerent bello claſſica ſaeva tuo?

Sci-

Scilicet an tacitis pugnas argenteus armis,
Et qui multa palam, clam quoque multa moves?
Malzhemiosne novos, Apraxinosve fubornas,
Fidis et his, frater dum tibi fraudis agor?
Egregiam vero laudem, plaufumque refertis,
Si tu fisque Tryphon, fi fit et ille Sinon.
Eunuchis vafer armatum fi diftrahis hoftem,
Et quod mulctares, Dux agis ipfe Ducum.
Quod mortem meruit, tene hoc, Rex Magne, decebat?
Quid rogo? tu ftatuis, quod juvat, effe pium.
Quid tamen eft demum male caftis artibus actum?
Ut reus ante fatis, bis reus inde fores.
Exuit emtitium fua munere Juno miniftrum:
Perfidus ille fago redditus ecce togae eft.
Quid tibi jam fuperat? quos jam tibi jungis amicos?
Qui tibi fint hoftes, quae tua turba, refer.
Si memor es (potes effe quidem) dudum ifta rogavi.
Scilicet eft aliquis nota rogare dolus.
Anglia fe ftudiis tecum focialibus armat,
Et tibi diverfo tendit ab orbe manus.




Porrigit illa manus, viduas, dic, anne maritas?
 Utitur haec etiam commoditate ſua.
Federa nunc jungit, tanto dum ſtringeris hoſte.
 Vara trahet vibiam: tu cadis, illa cadet.
Ultima ſpes porro reſtat tibi Martia pubes.
 Et valet haec numero, ni modo rapta foret.
Invitos agis ergo canes: numerato volones.
 Dum numerat Gedeon, quantula turba fuit!
Quid tibi promittas, quando cuſtodibus ipſi
 Cuſtodes, et opus milite miles habet?
Denique multa tamen, non abnuo, multa ſuperſunt,
 Vel ſolus ſuperes ſi, Friderice, tibi.
Hoc ipſum, ut metuam, facit. Ah cur cogis amare?
 Cur, qui tanta geris, tantus es ipſe ſimul?
Aut eſſes, Friderice, minor, moderarer amori:
 Cautior aut eſſes, absque timore forem.
Quo mihi fortunae tantum, vox ultima Fratrem
 Ut mihi conciliet, concilietque ſibi?
Sic vixiſſe juvet; ſic non ignavus obibo:
 Par, te ſi ſervem, gloria paene tuae eſt.
Quidquid ages, jam ſero tamen mutabis amorem.
 Semper amicus eram; ſemper amicus ero.

Quem

Quem laeſus colui, cogor moriturus amare,
Nec mihi ſunt animi ſubdita jura mei.
Pejus amo, quoties duro ſuccenſeo Fratri,
Plusque tuae dotes, quam tua culpa, valent.
Ergo age, quidquid amas, noſtri ſecurus amoris.
Si Bellona juvat, dextra ſit illa tamen!
Sim fruſtra pro te timidus; caſtra omnia funde.
Et ſileat tellus ſub pede tota tuo.
Vos quoque, qua veniet, tumidi ſubſidite montes,
Et faciles curvis vallibus eſte viae!
Quid tamen haec opto, fieri quae poſſe vel ipſus
Diffidis? Satior pax tibi nempe foret.
Per genus O nuper felix, generisque Parentem,
Per Patris oſſa tui, per tua regna precor:
Non genus ut ſerves; non ut tua regna perennent;
Sed ne, quam fueras, ſis aliquando minor.
Ergo vale, me fratre diu moriente valeto:
Quo nego me totum poſſe valente mori,







EPISTOLA

AD IGNATIUM WEITENAUERUM SUB MELISSI NOMINE

MONACHII 1760.

O mihi tam multos jam perquisite per annos,
Ni, Melisse, brevis te mora tardet, ave!
Non equidem turbam decet aspexisse novellam
Vatibus emeritis. Hoc nihil ipse nego.
Nec versus tibi non comti peregrinus hic Oscen
Aut visu, aut potuit cognitus esse manu.
Haec quoque non potui superis accepta referre,
Tempus ut aut multum, verbave promta darent.
His mihi non faciles aditus spondentibus, anceps
Dumque pudor prohibet, dumque retractat amor;

Jam nihil abfuerat, calamum quin tergere mallem.
Scribe tamen, dubio certus Amicus ait.
Scribe. Feram patriae timidam trans limina chartam,
Et levibus verbis ſat grave pondus ero.
Ac niſi carminibus veniat ſua gratia, ſuadam,
Quam doceo, an cenſes nil ibi poſſe meam?
Atque equidem ſenſi, quod rem plus elevet aequo;
Crevit at a vultu ſpes mihi magna Viri.
Quid dubitem? clamo: fors haec audacia grata eſt:
Cui ſi culpa ſubeſt, non ea laude caret.
Ipſe ſibi ignoſcat: cur famam laudibus implet?
Cur ſe non viſum cogit amare procul?
Publicus ille minus foret: ipſe modeſtior eſſem.
Quî mihi ſe renuat, quem facit ipſe palam?
Qui patriam non odit, amet, quod venit ab illa;
Quique meis patuit, num mihi durus erit?
Denique quid multis? Dudum, quod poſco, tenebam:
Quaeque opto, nequeunt jam niſi noſtra rapi.

Ut me nempe tuum liceat, Melisse, vocari,
Hoc petitur votis, exigiturque meis.
At nisi sim dudum, non sic tuus esse laborem.
Hic tamen hoc superest, noster ut esse velis.
Hoc quoque vix votum est: plus me sors alma beavit:
Glorior auspiciis jam puer inde tuis,
Te nostrum fecere tui: quos maximus inter
Grebmerus, patriae quod decus ille meae!
Haec dederat lucem: docuit me luminis usum
Ille docere suos doctus ab arte tua.
Hic mihi si pater est (Saepe est prae patre magister:)
Scilicet ex illo tu mihi surgis avus.
Denique Thermopago (*) tecto conjunctus eodem,
Te suspiranti saepe querebar idem.
Ah quoties dixit: Melissum reddite montes!
Nescis, hi scopuli qualia mella ferant.
Et, quamvis saturi, modicum gustasse videmur.
Annus amicitiae est visa fuisse dies.
Primus is, invidia frustra obluctante, flagellis
Barbariem pepulit, quae fuit ante, suis.
Hic

(*) Clar. Heisdorfius, qui superiore anno Philosophicam Mindelhelmii cathedram erat auspicatus, Oeniponte illuc accitus.

Hic ego pensabam: Si sic dolet ille relicto:
Nonne ego nec visum vel semel esse gemam?
Ipse sed afflictus mihi quae solatia ferret,
Jure ratus damnum se meliore queri?
Saepe mihi dixit: Posses lassare magistrum.
Melissus petitur scilicet ipse tibi.
Et placuit, tetigisse joco, quae seria duxi,
Et risi, mentem sic patuisse meam.
Haec etenim ingenti melioris amore tenetur
Culturae, et critica qui juvet arte, petit.
Atque utinam vel nosse procul, vel scribere fas sit!
Scribere si detur: quaerere deinde licet.
Me miserum! Jam vesper adest, et claudere rivos
Me jubet: ex oculis mane Reüsner abit.
Ergo vale, Melisse, rudem nec sperne tabellam.
Scribere quae nequeo plura, favore leva.





EPISTOLA RESPONSIVA.

MELISSUS MICHAELIO.

Vix bene deſerui, quo me Minoreſſa tenebat,
Triſtitia mixtum, laetitiaque ſpecum:
Cum tibi Phoebeam, Michaeli, reddo ſalutem,
Laetus et ignoto me placuiſſe tibi.
Nec tamen ignotum tibi me ſinis, Optime, dici,
Quod mea, quae ſcripſi qualiacunque, ſcias.
Notior efficiar, ſi ſit tua certa voluntas:
Nam quoties jubeor ſcribere, ſcribo volens
Eſt mihi, ſitque precor, ſtylus ut reſonabilis Echo:
Vox quaecunque venit, vocis imago redit.
Me docet hoc repetens exemplis mille Tyrolis,
Patria vera tibi, patria facta mihi.
His etenim vivo non ſimplex incola terris:
Haec civem regio me jubet eſſe ſuum.
Ripis, Oene, tuis annos bis quinque moramur:
Mene aliquis dicet juris habere nihil?

Tres

Tres olim autumnos ſalſae donavimus Halae:
Nunc me aliis ſeptem Pons tuus, Oene, tenet.
Nec tamen hi montes tanto nos foedere jungunt,
Quanto mons alius, ſanctior ille biceps.
Eſt aliquid, cives innaſci vallibus iſdem:
Sed tamen hoc caſu ſors fugitiva dedit.
Communi ſtudio qui conjunguntur, et arte,
Hos ego non cives verius eſſe rear?
Carole, Parnaſſo quicunque morantur in uno,
Et laticem potant, quem dedit ales equus:
Hos ego non cives vulgari nomine dicam,
Inter ſe fratres ſed magis eſſe putem.
Non ego ſollicitus, quo quemque effuderit ortus
Cardine, ſuſtineo quaerere, ſed quid amet.
Qui mea ſectatur, meus eſt: hunc dixero civem,
In mea conſilio qui tulit arva pedem.
Laurigera mecum te ſede recepit Apollo:
Non mihi civis eris? non mihi frater eris?
Civis es, et frater, communi numine Phoebi,
Teſtibus et lauris, Aonidumque choro.



Sed Tibi num videor Phoebi conſidere monte,
An mage Caſtalium deſeruiſſe nemus?
Nam me longinqua poſitum regione Syrorum
forſitan audiſti trans Babylona rapi:
Vel certe Iſaciae fodientem rudera gentis,
Aſpera anhelanti verba ciere ſono:
Aut etiam veteris Samariae evolvere griphos,
Ignotum Muſis, terrificumque genus.
Haec ego confiteor: nam quis manifeſta negarit?
Nec tamen e Pindo cogor abire meo.
Transfuga non ego ſum, priſcive oblitus amoris:
Sed veteres conſtans ſector, amoque fides.
Quas dat opes Oriens, quoniam ſic fata jubebant,
Offero depromens: vendito, quod ſatis eſt.
Poſt ubi jam plauſu decepta Thereſia credit,
Imperio vigeat quantus Apella ſuo;
Poſt ego reſpiro, veteresque revolvor in artes,
Et citharam rurſus pulſo, canoque tuba.
Et mihi Melpomene dat nectere crura cothurnis,
Et reſequi faciles das, Elegia, jocos.
Pindare, quis mihi te, quis te mihi demat, Homere,
Grajugenum quando me duce fervet opus?
Eſt et in Hebraei cithara mihi ludere Regis,
Et probat Uranie, commemoratque ſonos.

Sed

Sed Latios vates potius, meliuſque retento,
Exemplar pridem, deliciaſque meas.
Te quoque (ſed tacite, nequis malus audiat uſquam)
Te quoque non raro, Teutonis alma, ſequor.
His titulis igitur, Michaeli, credere fas eſt:
Si vis, et quia vis, haec mea penna tua eſt.
Ad me, quidquid erit, quo delectere, reviſes:
Sic mihi carus eris: ſic tibi dico vale.

Oenip. 13 Oct. 1760.



EPISTOLA II.

AD EUNDEM

MONACHII 1760.

MELISSO MICHAELIUS.

Illa dies albo mihi conſignanda lapillo;
Illa meis faſtis feſta vocanda dies:

Qua mihi de gemino ſuccesit epiſtola Vate;
Sic ſit ut ex iſtis hic pater; ille ſatus.
Et tamen immenſum ſpatiis diſtabat uterque;
Qua ruit hinc Nicer, qua ſubit Oenus ibi.
Altera nota manus, fidi mihi munus Achatis:
Altera tu, dixi, quanta futura mihi es!
Recluſi cupide: quid enim mihi dulcius illa,
Quae ſit Spenneri charta notata manu?
Hic mihi praecipuo, ſi quisquam, cognitus uſu eſt,
Horridulum Sophiae cum legeremus iter.
Jam tunc heroëm magno ſe jure ferebat,
Viſus et in populo eſt vatis habere locum.
Junxit amor ſocios Pindi communis utrumque,
Atque idem Phoebus non tulit eſſe duo.
En tibi, quot teneam jam te, Meliſſe, per annos.
Me factum a pueris ad tua ſcita parum eſt.
Plus mihi nota tui, quae mecum vixit, imago;
Dum curae huic fueram, qui tua cura fuit.
Nunc ſe Teutonica madidus, Latiaque Minerva
De

De manibus laurum monſtrat habere tuis.
Nam Phoebus Meliſſus eras, mel viſus in illo:
Nec mihi tunc libros noſſe neceſſe fuit.
Et mihi narravit (quae ſi ſciat ille referri,
Dignus, ut invidear, ceu fuit ille, forem)
Meliſſi ut fuerint onomaſtica feſta Poëtae,
Ac ſibi item vitae forſan origo ſacrae.
Scilicet ex illo, ſimul inclareſcere coepit,
Aonium docto pollice plectit opus.
Et mihi ſcire nefas, elegis an amoenior oſcen,
Aptior an reſonae plectra movere lyrae,
Nunc et Baldeis (nec enim ſine dente poëta eſt)
Pulicis exagitat bella cruenta modis,
His ego dum lectis, et munere laetus amici
Gaudia me credo cuncta tenere ſinu:
Jam ſatur a primis menſas arceſſo ſecundas,
Et ſubit incertas altera charta manus.
Error hic eſt, fateor: ſed et hic fuit utilis error,
Quod prior abſtulerat littera nota moram:
Nam niſi peccaſſem, tabulam complexus amici,
Quam vellem, minor haec, te praeeunte foret.



Ac, scio, te certe noram, manus advena, dixi.
Sed, quam nosse, minor rumpere vincla labor.
Tum vero exsilui, tum mentis nescius haesi:
Mox plausi pedibus, concrepuique manus.
Scilcet has, Melisse, meus, Melisse, remittis!
O mihi vel votis mollior ipse meis!
His ergo ut fruerer, satis est voluisse, quod opto?
O ego quam facili conditione beor!
Et nisi si nimium, quanti sit, nesciat ille,
Debuerat votis parcior esse meis.
Sit licet humanus (fuit haec fiducia famae)
Num vel ab humano littera danda fuit?
Nonne satis fuerat subitam misisse salutem.
Hac siquem patrio de Lare ferret iter?
Nec tantum scribit, sed scribit et ille benigne;
Scribit honorato carmine: Quod volupe!
Cetera quid memorem? Jam charta attrita legendo est,
Et, quo subscribis, limite fusca magis.
Deprecor hoc unum praeceps, et amabile crimen,
Quod minus aeternas reddit amando notas.
Paene tamen dolui vincenda papavere nullo
Gaudia; quippe quibus nox vigilanda fuit.

Hunc quoque ſum crebro ſtudiis complexus in illis,
Qui tulit ad tantum nuncia verba Virum.
Audiat ille, precor: non me bona gratia fallit.
Addidit is pondus: des licet ipſe locum.
Atque utinam mihi tunc reſcribere cura fuiſſet!
Iverat in verſus vena ſoluta tuis.
Nunc miſerum ad ſalebras, durique Palaemonis aſtus
Grammaticae referunt penſa moleſta meae.
Non calor Aonius, non me ſacer impetus urget:
Siquid et occinui, ſtramine ſtridet agri.
Nec ſubeunt animum, niſi tantum publica verba,
Quodque damus verſu, vertito: proſa tibi eſt.
Quis mihi fortunae tantum, ſua carpere plectra
Ut queat a ferulis obſtupefacta manus?
Contigit hoc illis, imo quos corde receptus,
Quidquid agunt, numeros cogit habere Deus.
Nec tamen indignor: ſterili vel in arte voluptas
Eſt mea: cui faveas, et medeare, precor.




Tempus erit Phoebo, plus et rata tempore poſſunt.
Civica nunc Latii diſcere jura decet.
Hicque Nepos, Caeſarque, et mox Salluſtius, atque
Livius in gremium turba ſrequenter eunt.
Nec tamen his potui ſatis internoſcere lectis,
Gratia dum cunctis, nec tamen una Stili eſt,
Quis genius ſit cuique ſuus, quaque arte tenendus,
Arbiter ut ſollers, hic, mihi dicat, eras.
Eſt acer Criſpus: compendia grata Nepoti:
Livius hic vir, hic eſt: propria Caeſar amat.
Haec memini paſſim libris reſonare recoctis:
Cortice ſed fracto viſcera nemo ſubit.
Praeſtitit hic aliquid monſtrans paradigmata Deſing,
Non ſatis at dextra Pallade, pauca ſtili (*)
Nec valet hic brevitas: cupio prolixa doceri.
Unica vox doctos, ſint niſi, nulla facit.
Purum aliquis celebret: non hoc ſum purior ipſe,
Nec cito laudato Caeſare Caeſar ero.

Ne

(*) In Commentario de Stylo Q Curtii hujus editioni addito.

Ne mihi dic dotes, ſunt hae compendia dotes:
Quin, quibus haec conſtent nomina rebus, ais?
Scilicet Hiſtoricos inter ſe conferat, opto,
Qui mihi praeſentem ſpondeat auctor opem
Aut hac, aut nulla cito rem patefecerit arte:
Hujus ut in Gallis palma, Rapine, tua eſt.
Non eſt in Tacito (*), quod jure requirere poſſim.
Sed non propoſiti res fuit iſta tui.
Illa ferunt primas, quae ſunt majoris abollae.
Quod mihi nunc petitur, ſat tetigiſſe fuit:
Sat tetigiſſe ſtilum: quanquam ſic tangis et ipſum,
In promtu ut videam plura fuiſſe tibi.
Nec tamen optarim, doceas ut carmine; quamvis
Ex facili poſſis: commoda proſa magis.
Aut hac, aut alia quavis ratione docebis.
Perſpectum melius, quae ſchola praeſtet, habes.

(*) In Commentario de re Hiſtorica *Taciti* nomine inſcripto, qui in Weitenaueri *Miſſcellis politioris Litteraturae* exſtat.



His ego tanquam aegri; Medici tu ſuſcipe partes.
Maxima ſanati gratia ſemper erit.
Reddidit audacem tua me, Meliſſe, voluntas.
Fidere me libri, poſcere charta jubet.
Quo ſinit aura, ſequor: ſinuare haec carbaſa pergas.
Abs te quae poſcam, ſunt mihi multa nimis.
Si coram eſt frater: precor, internuncius eſto;
Deditus ut ſtudiis haud nimis ille meis.
Si minus ipſe velit, mihi commodet attamen, ac jam
Quod tibi dico vale, ſaepe reportet ave.

EPISTOLA RESPONSIVA

Etſi Verſu abſtineo, quandoquidem id ipſum cenſes in hoc reſponſi genere faciendum; non tamen a Muſis diſcedo, cum de Hiſtoria ſcribo, cujus Leges Clio ſancit. Inter eos, de quorum Stylo interrogas, Nepos Caeſari, Sal-

luſtio

uſtio Tacitus affinis eſt; Livius principem locum cum nemine communem habet. Nam etſi et illi, quorum paria junxi, Stylo inter ſe diſſident: Scribendi tamen character ſi quaeritur, quem à te maxime quaeri opinor, eorum inter ſe vicinitas apparebit. Si Latinitatis aetatem, ſi phraſin, ſi nexum, ſi brevitatem, ſi lumina collegerimus: fortaſſe id habebimus, quod ſtyli nomine comprehendi ſolet. Sed ipſa materia, et utique auctoris ſpiritus ita ubique ſe ſtylo ingerunt, et infundunt, ut ſcribendi Character ſine iis conſtitui, et ſuus cuique tribui nullo modo poſſit. Jam in Caeſare, et Nepote illud commune invenias, quod pura, et nuda facta referunt: cui propoſito conſentaneus ſtylus eſt, nudus et ipſe, ſimplex, naturalis, et omnem Majeſtatis ſpeciem etiam in rebus majeſtate plenis effugiens, ac veluti reformidans. Salluſtius, et Tacitus id ambo ſectati ſunt, ut morum periti Magiſtri, et rei Politicae cenſores acuti putarentur: iſti conſilio Stylus apte reſpondet, abruptus, praeceps, durus non raro, et malignitatem ſpirans. ſed acrimoniam illam, quam in utro-

que



que sentimus, materiae potissimum deberi contendo: deme hanc, aut muta: temperata, et lenis brevitas erit, Caesarianae persimilis. Livius flumen rerum flumine Orationis secutus est: verae majestatis plenam Historiam toto animo complexus, sua majestate aequavit. Affectuum mirus artifex, nihil neglexit, ea tantum lege, nequid ipse fingeret, nequid indignum memoratu afferet. Non suspiciones, non sententias, non censuras inter ornamenta posuit major his omnibus animus, et non docendo plus multo docens. His omnibus satis facere alius stylus non potuit, quam quem in ejus libris videmus. Horum autem cognitio, uti eruditae oblectationis plurimum, ita nihil usus praesentis apud eos habet, qui justem historiam scribere non aggrediuntur. Justam dico historiam, quae posteritati paratur: nam amplificatae nostrae quidlibet licere volunt: Scholasticae autem illi, quae Humanitatis discipulos ad Eloquentiam praeparat, nemo Veterum aptior Curtio fuit, fusus, amoenus, irrepens in animos, et Rhetoris splendorem ubique affectans. Ceterum in discipulis non

mul-

ıultos eſſe expertus ſum, quibus eae ſint in-enii vires, ut verum, ac proprium ſibi Sty-ım effingant. Inter ipſos viros, ſuum cui-ue ſpectandum ingenium, et puro, cultoque ermoni relinquendus liber alveus, quo ſua um natura propulerit. Felicem te, amantiſſi-ne M. Carole, quem Natura, et ſtudium eo am nunc provexere, ut mira ſtyli facilitate, quidquid libuit, feliciter conſequare. Quae le Spenneri in me animo nunciaſti, cara fu-ere; quae de tuo, cariſima. Vale optime, etiam in divinis memor.

Oeniponti, 13 Dec. 1760.

Ignatius Weitenauer.



EPISTOLA, QUA

ARISTOTELES STAGIRITA

LIBELLUM REPUDII

MITTIT PHILOSOPHIAE SIBI IN-GRATAE,


ET ALIAM IAM SIBI SPONSAM DELI-GIT RHETORICAM.

Haec quoque epiſtola, et quae eidem reſpondens proxime ſequitur, perinde ut illa Wilhelmi mori-entis

entis non mea ſponte concepta, ſed alieno penſi inſtar a me concinnanda fuit arbitrio, cum Themata ſaepe non exquiſitiſſima praeſtituerentur: quibus exceptis tribus exercitationibus, reliquas omnes meomet delectu evigilavi multo lubentius. Neque vero haec ipſa materies mihi arridere tum poterat, ubi veluti contra Philoſophiam recentiorem, quam eſſem ipſe haud pridem edoctus Ingolſtadii, declamandum mihi foret apud eos, qui pro Ariſtolea, tanquam pro aris, et focis, etiamdum dimicarent. Sed nec illa in artis exercitatione reſpuenda ſunt argumenta, a quibus multum ipſe diſſentias; uti tanto poſtea ſolutius, feliciusque in iis verſere, quae ex animi tibi ſententia inſtituere liceat. Neque me fugiebat, quadam adverſus Collegii Moderatorem adulatione hanc ab eo, qui themata aſſignabat, delectam eſſe materiem: praeerat enim tunc domui Vir extra philoſophicam haereſin ceteroquin optimus Georgius Hermannus, *famigeratus antea Ingolſtadii Profeſſor Ariſtotelicus, qui adverſus celeberrimum ibidem* Moraſchium, *Medicinae Doctorem, ac Profeſſorem Publicum, Gaſſendi ſectatorem, librum ediderat multum ea tempeſtate jactatum,*

qui


qui Lapis Offensionis *inscribebatur. Offensae autem causam ipsus ibi sub initium memorat, dum Cl. D.* Moraschrum *Virum quidem Egregium, atque optime ceteroquin meritum nihil diffitetur: sed; quia manum suam ausus sit - instar Ozae extendere ad Arcam Domini, - id est, contra Accidentia Absoluta: eo nomine illum sibi profitetur oppugnandum putasse. Ad haec, aliaque hujusmodi cum alludat Elegia, quae isthoc praeside fuit inter prandendum recitanda, facile animadvertet Lector, eandem ab iis, qui Aristotelem arctius complectebantur, non minimam iniisse gratiam; cum nobis interim junioribus, qui recentiora eramus docti, omnis ea declamatio satyrae instar ancipitis multo ab risu propius abesse videretur. Ceterum argumentum ipsum haud sane poterat Elegiam invitare, nisi res corporis expertes transferres in personas, personasque ipsas sic antea animares, ut longe remota jungi cum posterioribus, et cum moribus hodiernis conciliari nomine aliquo possent. Itaque et hac sum usus venia, necessitate versa in opportunitatem.*





An pretium est operae, tua postquam gratia vilis
Esse mihi coepit, jam meminisse tui?
Aut mihi cum tecum nil sit commune, Sophia,
Ecquid Aristoteli scribere cura fuit?
Seu stomachabor ego, nec te majoris habebo,
Quam quae trans Thulen merx peregrina jacet:
Nil hoc profuerit; quis enim contemta lacessit?
Littera, quae spretam nunciat, ipsa negat.
Seu querar hic aliquid: querulos quid mitto libellos?
Isthaec poena tibi muneris instar erit.
Ipsaque (nec dubito) velut es, tibi fingis honorem,
Quodque ego supplicium, tu decus esse putas.
Debuerat ringi, dices, si senserat ille:
Sensit is, et versu vel scelerata color.
Et coquit ille quidem, et justas tamen opprimit iras,
Nec graviora licent, dum graviora timet.

Eſto, quiritetur! vel ſic quoque quaeritur illi
Commoditas mecum paucula poſſe loqui.
Haec ſibi verba dabit mulier. Quid ſtultior ergo
Ligna feram veteri plura vel ipſe rogo?
Quid multis agito, quod verbo dicere poſſim?
Ipſane, quam ſumo, ſit mihi poena labor?
Sed nec ego tanti fueram, cui carmine ſcripto
Lapſuram caneret nuncia charta fidem:
Nec verbis, ſed rebus eras crudelis amanti.
Quod tibi fas fuerat, dic, mihi ſitne nefas?
Fas equidem fuerit; ſed et hoc ſcelus eſſe putavi,
Si, tibi quod placuit, non mihi noxa foret.
Nunc cauſam didiciſſe potes, quae ſcribere iuſſit:
Si tu ſcripſiſſes, fors ego mutus eram.
Laeva venis, dexter; ſi dextera, laevus abibo.
Hoc ipſum, ut nolim, quod velis, anſa mihi eſt.
Dum pudibunda taces, et crimen crimine celas,
Orbe palam latebras perſequar ipſe tuas.




Perſida tu ſubito clam conjuge tecta relinquis,
Fugit ut eluſo rapta Lacaena viro.
Te quoque Carteſius (ſed nomine laedor ab ipſo)
Te Paris hinc rapuit, quem Pariſina tenet (*).
Quin Paridem potius rapuit ſua Tyndaris ultro,
Raptaque quae manſit, praebuit ipſa rapi.
Cauta licet fueris, tameu es male provida, nullo,
Dum ſcelus obtentu, vel ratione levas.
Aſt ego ſollemnes pleno tibi ſole libellos
Porrigo, ceſſantis munera digna tori.
Non ego ſive forum, ſeu conſcia lumiua vito.
Publica cauſa proba eſt: quem pudet, ille latet.
Sic quoque (quod, puto, jam nolles) mihi gratia facti eſt,
Quod ſit fracta fides, nec revocata tamen.
Scilicet oblita es, ſapienter fraudibus uti:
Mittere me poteras, ſi prior auſa fores.
Mittere me poteras: nunc mitteris ipſa; repulſae
Et, tibi qui poterat, nunc mihi cedit honos.

Hic

(*) Ubi ſcilicct ſitus eſt.

Hic honor, ut fatear, circum mihi pectora ludit,
Femina quod faſtu ſit ſuperata ſuo.
Quisquis erit, cui ſint divortia cognita, dicet:
Fecit Ariſtoteles jam prior; illa tulit.
Et dubitas, veraſne canam, an commentiar iras?
Nec ſentis, ſtatuat quid tibi laeſus amor?
Verba quidem, nondum quae poſſim, grandia volvo;
Et tonitru tantum parturiente feror.
Ne tamen ignores; quae ſit ſententia, paucis
Percipe: Non utor conditione tua.
Nunc age, cur nullam ferret tibi noſtra ſalutem
Littera, mirari deſine: cauſa patet.
Fronte cares; hinc fronte caret, ſimilisque legenti eſt,
Exemploque tuo, quae ſit, et unde, tacet.
Et tacet, et laeſam ſe vindicat illa tacendo,
Et quamvis loquitur, plus tamen illa ſilet.
Atque equidem volui nullos effundere queſtus:
Sed tibi tu caneres: Vicimus: ille timet.
Pandere nec cauſas, quare divortia mallem,
Mens fuerat; dubiam ne mea verba juvent.



Sed tua cum nullis poſſis purgare libellis
Crimina, quid ſontis facta notare vetat?
Nec tamen iraſcar, iuſtosque domabo furores;
Ne ſuccenſendo forſan amare prober.
Nec frenis opus eſt, nec me labor iſte gravabit.
Eſt aliquid, quod me non ſinit eſſe trucem.
Ne tamen aut ſimplex poſſim, ſupplexue videri,
Iratos riſus, nec metra blanda leges.
Ira quidem procul eſt, ne poſcere credar amorem.
Ne tamen ullus amor ſit ſuper, ira juvat.
Et ſperabis adhuc, ſi vel te ſpernere dicam,
Neſcia, quo ſpernam fenore damna meo.
Quodſi jam blando mulcerem carmine faſtum,
Carteſio, dicas, mollior ille mihi eſt.
Scilicet hic toties iratus: adultera, dixit,
In te ſi vidit quid ſupereſſe mei.
Aſt nimium pungo, dentemque per ulcera duco:
Flebit, et invitas imbuet imbre genas.
Impuat illa licet, malefidaque pectora plangat!
Vulnera quam referat, non leviora facit.
Quoque minus dubites, quam ſint rata verba dolentis;
Nolo, ſatisfacias ad mea dicta mihi.

Ac-


Accipe, quodcunque eſt, nec munera munere penſa,
Nec mihi tu porro ſcribe, nec ipſa veni.
Quid palles? pallebis enim, niſi perdis et iſtud:
Nam rubor in caſta non niſi fronte ſedet.
Quid tamen expalles? quorſum miſer iſta requiro?
Hei mihi, ſi ſupereſt cura vel ulla mei!
Donamus lacrymas; donamus, quidquid amantum eſt.
Haec quoque quid valeant, quae valuere, ſcio.
Femina! nempe doles, quia te diſpendia tangunt,
Nec licet ancipiti ludere fraude duos.
Me laeſiſſe parum eſt, nec idem, niſi vindico, ſentis:
Linquere, non linqui, perfida poſſe cupis:
Nec me poſſe putes: neque ſi mihi firma voluntas,
Poſſe putes multo tempore ferre moras.
Adſuetis, dices, lente, faſtidia ſurgunt.
Quid metuo? reducem jam feret ille pedem.
Ille pedem referet? quae te fiducia fallit?
Scilicet ut doleas ſpe male capta magis.
Altera praeripuit, quos tu tibi fingis, amores,
Nunc ſapiens odi, nunc bene laeſus amo.



Si fibris infixa fores, tamen inde repulsa es:
Successore novo vincitur omnis amor.
Miraris, quae te thalamis extruserit hospes.
Hoc quoque, cum locus est, littera nostra refert.
Felix O nimium, nova si mysteria nolis
Discere! Quid moneo? jam cupit illa magis.
Sic quoque, si frustra moneo, bene retia jeci;
Sique capi non vis, sic quoque capta mihi es.
Jam nova te conjux, nostri jam cura remordet.
Perfida: Cartesio sicne recepta fides?
Nec tutum est thalamos furtim spectare relictos:
Newtonus longis excubat usque tubis.
Et sine nare sagax Tycho, rivalisque Tychonis,
Et tu, post tabulam qui, Galilaee, sedes.
Nec tecum loquitor: ne credita prodere verba
Nolletus speculis, parietibusque queat.
Et legis haec? chartamne tulit Parisinus Agyrta?
Perlege: nil Gallus, quod vereatur, habet.

Non

Non ego tento ſidem, quamquam, niſi perſida, fida
Non potes eſſe ; tamen non ego tento ſidem.
Ille quidem rapuit : ne reddat, ego inſuper opto.
Et data ſi nondum, nunc quoque danda fores.
Sarcina ſi reputem, quae ſit mihi demta nocendo,
Carteſium de me vel meruiſſe putem.
Hoc tamen optabo (ſed nil optare neceſſe eſt)
Hei mihi! congeminet : ſtulta rapina mea eſt.
Parcite rivales, et vos date fata recurſus,
Poena mihi raptus eſt rapuiſſe gravis-
Nuper Ariſtotelis fuerat, nunc ipſa Renati
Non nova ſat novitas; ſit niſi nata quater.
Haec gemat ille, licet: non ſum ego crimine purus.
Crimen erat, quondam te placuiſſe mihi.
Par prope culpa mea eſt, quod te, latebroſa, perivi,
Meque reum pietas impietatis agit.
Cur ego tot ſtudiis arſi juvenilis amator,
Cum rudis ignoto laeſus ab igne forem?
Cur nimium faciles admiſi protinus ignes,
Nec timui demens credulus eſſe tibi?



Cur etiam docui? cur auxi prole novercam?
Ah patior donis vulnera facta meis!
Ergone tot potui turmis certare procorum,
Plumis ut placeas, Galle superbe, meis?
Quidquid Anaximenes docuit renuentibus astris,
Et qui Lunicolas ex Colophone videt: (*)
Aut quem frigentes leto mersere cicutae,
Et nil sollicitos qui putat esse Deos: (**)
Omnia dedocui, victorque potitus arena
Quod merui, spolium sponsa Sophia fuit.
Ah subit, et memini, quam te diversa gerebas,
Cum tibi primus amor, primaque cura fui.
Et placui, sensi, nisi si placuisse putavi:
Lumine nam in falso tunc quoque luscus eram.
Te licet expeterem; prior attamen ipsa petebas:
Nec Pater ipse Plato prae tibi prole fuit.
Dum mea regna tenes, dum toto es in orbe recepta;
Tu quod eras, ego sum; dum mea regna tenes
O quam Penelopen, tali cingente caterva!
At typus errantis qualis Ulyssis ego!
Cernat anhelantem specula rivalis ab alta,
Flensque meas pulsem, docta Lycea, fores?
Nunc

(*) Xenophanes.
(**) Diagoras.

Nunc me ferre jubes, quem ſic vix ante ferebas.
Nunc fero, quae noſter cornua ſumſit amor:
Nunc male barbatus tibi ſum, nec jam aptus amari:
Nam Sophus a mento, non tibi mente placet.
Scilicet antiquo me rurſum includere ludo
Jam rude donatum tu quoque poſſe cupis.
Hic inter Juvenes, mento qui virgine vernant,
Diſcere me (poſſim ſi modo) mira ſines.
Et modo ſi tremula daemunculus actus in unda
Saltitet, aut vitro pulicis exta patent:
Et modo ſi clauſis jubar influat arte feneſtris,
Nullus Ariſtoteles noverat iſta, gemis.
Inde Gynaeceum Gottſchedo Praeſide ſurgit;
Omnia vernaclo cum docet ore loqui.
Non ſatis eſt Pindo merces vulgaſſe profanas:
Macra Viri Sappho denique facta Sopha eſt.
Nec tamen indignor, nec in iſtos invehor hoſtes.
Convenit in mores aſſcla turba tuos.
Hactenus argutam, ſed ſola juventa vocabat;
Fraudibus utilior nam tibi viſa fuit;



Et nova par veteri si dicitur, advolat aetas,
Seque stupent pueri protinus esse Sophos.
Adde, quod et novitas fallaci fascinet umbra,
Arbitrium juris nec sinat esse sui.
Dat veniam novitas, vexat censura vetustos:
Qui nova fert, quovis indice liber abit.
Vix ulli bis lecta placent; mutantur in horas,
Et minor est hodie, quam fuit usus heri.
Ast olim multo reverentia crevit ab aevo.
Nunc minor accessu, quam fuit ante, manet.
Jamque Stagiriten puer arguit udus: at ille
Nec quid Aristoteles, sitve Stagira, sciet.
Non sibi sat sapiunt, si, quod sapuere parentes,
Addiscant longa discere velle mora.
Plura sibi, quia posse volunt, jam posse videntur.
Ars brevis est illis, vitaque longa nimis.
Nec quibus ingeniis nunc sunt, viguisse priores,
Nec, nisi quod videant esse, fuisse putant.
Quid Plato, quid Pyrrhon valeant, aut Zeno profundus?
Jam nec Aristoteles amplius: αυτος ΕΦΑ.

Pau-

Pauper is, atque pedes Gyaron, rigidamve Cucusam
Aut ultra Thulen, antipodasve migret.
Eradent fastis, nomen censuque Sophorum,
Quique prius meritis, stigmate notus erit.
Quin adeo nostris sacratus honoribus olim
Nempe dies posthac Cartesianus erit.
Sic ea lux quondam Iovialibus inclyta ludis
Dicetur quondam forte nefasta dies.
Pro Jove Mercurius laetis moderabitur horis,
Quodque is Saturno, nunc erit iste Jovi.
Rancidus in tumulo sic denique computrescam;
Ut perit incerto cymba relicta freto.
Semper ego auditor tantum, nunquamne reponam?
Et *lapis offensae* num tibi semper ero?
Sed neque continuo, quod ii voluere, peractum est.
Exspectant nutus ultima puncta meos.
Semper Aristoteles famae mendacia spernet,
Hostibus isque suis inuidiosus erit.
Ingenii metas, famaeque egressus, in alto
Sum Diis contiguas visus habere domos.
Finge tamen, falso non nunquam schemate captum:
Nam neque tu somniis, grandis Homere, cares.



Gallus nonne tuus, nonne et tuus Anglus aberrant?
Error ineſt illis, quem, quia pulcher, amant.
Vos quoque, rivales, non vera, ſed aemula veri
Venditis, et lanae voce crepante parum.
Vos quoque neſcitis, ſtultaque tumeſcitis ira.
Scilicet aenigma eſt, quidquid hic orbis habet.
Non patuli colles, non ſunt ſine fraude receſſus,
Et Thetys, et Thetydis littora, viſa latent;
Omnia numen habent. An habent tamen omnia numen?
Sunt, ea qui manibus ſe tetigiſſe putent.
Nil neſcire volunt: jam docta inſcitia probro eſt.
Sed dum ſe jactant ſcire, putare probant.
Dii tibi dent multos, precor O! ſic vivere ſoles!
Sat tibi ſupplicii ſic novus addet Hymen.
Sis nova Penelope, centumque petare maritis.
Non ego Dulichius porro ſed eſſe velim.
Eſt tuus Hobbeſius; tuus eſt Gaſſendus et ipſe;
Carteſius tuus eſt, Carteſioque ſati.

Si de tot ſponſis jubeat te quisque tuorum
Nominis eſſe ſui, dic mihi, cujus eris?
Forte dabis partes? ſed ſi lacereris in illas,
Quem facies totum ſemiſophia Sophum?
Noſtra quoad fueras, ſimul integra nupta fuiſti.
Nunc lacera eſt, quae tunc unius una fuit.
Quamlibet attonito ſis agmine cincta procorum,
Nullus, qui lepide dictitet: uxor, adeſt.
Moribus haec iſtis nimirum vivitur aetas:
Tu metuis ſaeclo caſtior eſſe tuo.
Trita, frequensque via eſt, et amare, et amando vagari:
Trita ſit illa licet, ſit lutulenta magis.
Sed nihil iſta moror, ſpernentem ſpernere fas eſt.
Aſt Sobolem nequeo deſtituiſſe pater.
Redde mihi partus, ſi ſunt mea pignora probro:
Aut hos ſi dubitas reddere, redde pares.
Ut taceam reliquos, geneſis vel ſola ferarum
Res eſt, Carteſius cui pater eſſe velit.
Quidquid Alexander potuit, totusque Magiſter,
Hic opera, is pretio, fert meus ille liber.



Aſt et poſteritas alios transſcribit, et audax
Nomine ſubſignat nomina noſtra ſuo.
Hoc etiam (quis enim propria non tangitur arte?)
Materies noſtri magna furoris erat.
Perfida cur thalamos, ſed rapta prole relinquis?
Cur nec clementem, nec ſinis eſſe trucem?
Cur ſatis iraſci mihi non licet? arguo fruſtra,
Dum ſobolem vultus cerno referre meos.
Cerno referre meos: aſt et tua cerno referre
Lumina deceptum prodere docta patrem.
Quid ſupereſt? raptos habeat ſine lite libellos.
Sic mihi ſunt damno damna redemta levi.
Ut libet, arcanis jactet ſe perfida furtis,
Non habet eventus ſordida praeda bonos.
Dum ſpuriis mea verba notis, ſcholiisque repurgas,
Res mea jam reliquum nil habet ipſa mei.
Ac velut adverſa phrygianum parte tapetum
Extremos ductus, ſilaque craſſa refert:
Sic ego confixum varia ſtribligine cernens,
Saepe rogo: partus, dic mihi, noſter ubi eſt?

To-

Tota adeo, quanta es, nil illius, illius ultra,
Prima Stagiritae quae fuit vxor, habes.
Quid tornata juvat, quid te fabrefacta supellex?
Quae fueris, quae sis, sic quoque picta, patet.
Non nisi mechanicis monstras operosa parergis
Atria: pars minima est ipsa Sophia sui.
Non ego Pygmalion, cui saxea nupta placebat:
Non ego Praxitelis qui miser arsit opus.
Machina nulla placet, nisi si Deus adsit in illa.
Tu mihi res monstras: causa petita mihi est.
Omnia quid memoro, quorum vel singula praestant,
Ut sequior causa sit tua causa mea.
O male grata nimis, cui non sat viximus uni!
Sed tecum ut potui vivere, sic sine te.
Vincula jam demum fidum stringentia pectus,
Et trepidae finem vulnera mentis habent.
Nunc tu gryhes equis conjunge; repelle propinqua;
Et tangi athletae verbere terga nega.


Sint



Sint tibi tres quatuor: sit et arcus quisque trigonum:
Qualibus, et quantis pace mea bene sit!
Dum tu cum thaalamo nos, et te deseris ipsam,
Rhetorice viduos non sinit esse toros.
Dum spoliavit amor, dedit indignatio sponsam:
Jam tamen hic amor est, quae prius ira fuit.
Jam placet ipsa mihi, quae vix placitura placebat.
Jam nollem laesam non prius esse fidem.
Jam sedet haec gremio; placet haec, penitusque recepta est,
Et me delicias, tu velut ante, vocat.
Forsitan et quaeras, cui sim magis utilis arti.
Livida, si nescis, ars ab amore venit.
Nec, reor, invita nos hanc coluisse Minerva.
Plus Cathedra, dubito, glorier, anne foro.
Me Marcus Fabius, me Marcus Tullius ornant.
Ille Patrem Suadae me vocat; iste virum.
Ipsa simul, quanta est, mihi se debere fatetur,
Et quidquid clarat rostra, fuisse meum.
Siquid adhuc deerat, ne posset comta videri:
Ingenio coepit comtior esse meo.
Et gratis ne sim felix, accedit amori
Dos quoque: sat dotis sit licet ipsa sibi.

Dos ſedes, Academe, tuae; dos fama per orbem
Quae Sophus amiſit regna, diſertus habet.
Et pridem, ut fatear, lentos objecit amores.
Ah quoties dixit ſaucia: ſerus ades!
Pars melior Sophiae ſtudiis eſt trita diei:
Dum gravis es dapibus, denique, lente, venis.
Me Miſerum! lapſas revocet mihi Jupiter horas!
Quod ſine Rhetorica, tempus inane fuit.
Sed penſare ratum eſt geminato frigus amore.
Perfida tu videas, invideasque ſoror!







EPISTOLA APOLOGETICA PHILOSOPHIAE AD ARISTOTELEM,

QUAM ILLE PERFIDIAE ACCUSAVERAT.

PURGAT IAM SE PHILOSOPHIA RECENTIOR, ET CRIMEN HAC EPISTOLA TUM A SE DEPELLIT, TUM ALIO CONFERT.

Quoniam sum rebus ad intelligentiam versuum pertinentibus compulsus, Hermanni *nomen olim celebre in prolegomenis ad superiorem proferre epistolam: nec illud dissimulare fas erit, quis ex-adversum pro Philosophia recentiore auctoritatem hic suam interposuerit: nam et hic, uti olim* Mulciber in Trojam, pro Troja stabat Apollo, *ita studia studiis pro varia potestatis vice praepollebant. Cum interfuisset superiori recitationi Vir Clariss. maximisque functus muneribus* Ignatius Rhombergius, *idemque Philosophiae eclecticae a multo jam tempore haud paulo, quam pro*

aevi-


aevi paene venia, addictior, collaudato specimine, ut ad humaniores, quas tuebatur, litteras adderet incitamentum, simul illud diserte desideravit, uti responsiva quaedam Philosophiae ad Aristotelem Epistola, ubi Monachium esset iterum diversurus, sibi a me publice praelegeretur. Neque isti postulato resisti a quoquam per exigentis auctoritatem tum poterat. At mihi volupe erat tanto impunius in animo collocata exponere. Itaque continuata Personarum fictione cum suis lusibus, quibus jam prior imbuta erat epistola, asscivi itidem non nulla ex Historia Philosophica, quae plenius in Bruckeri praestantissimo opere conferri queant; ea quoque re compulsus ad excurrendum, quod mensae tempus aliquanto tum productius erat recitatione implendum.

* * *

Mittit Aristoteli, quam non dedit ille, salutem
Nota manus; tecto nomine nota magis.
Hei mihi, quae nostris indigna modestia factis
Fronte mihi prima jam simulanda venit!


Nomina celari scelus est, scelus estque fateri.
Hoc nocet: ast illud signa nocentis habet.
Et nisi si nescit, quis scribat, epistola frustra est:
Et nisi si fatear, nesciet ille minus.
Ah utinam possem vel non rescribere lectis,
Aut hunc, qui prohibet scribere, amare minus.
Esto! vel ex ista nomen formidine discat!
Ipsa modo celem: fors erit ira minor.
Insimulat fastum: nunc sentiet ille modestam,
Quodque magis dubitat, sentiet ille suam.
Hoc saltem reliquum faceret tua turba precabar,
Fingeret ut, salvo semper amore, ream.
Non me nunc animi dubiam tuus error haberet,
Integer Oppressae si superesset amor,
Nunc purgaturae, quae nunquam crimina feci,
Nolle mihi impingi crimina crimen erit.
Et qua, ne laceres, rogo, fors lacerabitur ipsa
Littera, et errorem, cui cavet illa, luet.
Non tibi quod falsis sum picta coloribus absens,
Vulnus erat, quamvis hoc quoque vulnus erat:

Sed quod me prohibet pariter tua charta receptu,
Durior in Sponſa es, quam vel in hoſte fores.
Hei mihi! prorupit vox invidioſa legenti,
Da veniam, nequeo non meminiſſe mei.
Non uſûs, animive ſinor dediſcere voces;
Ille facit ſponſam, me facit iſte tuam.
Et quamvis fontem, ne tu fons eſſe puteris,
Fingere me ritu ſupplicis ipſa velim:
Mox veteres tamen in titulos invita relabor,
Nec potis eſt veros lingua tenere ſonos.
Nec procul abfuerat, quin me ſim faſſa Sophiam.
Quid fremis, O conjux? haec peregrina tibi eſt.
Nec tamen hanc fateor, ſed vellem poſſe fateri,
Et minuo culpam, qua licet arte, meam.
Quid furis in tabulam? fingam, precor, omnia fruſtra,
Et male quae metuo, mentiar ipſa mihi!
Quid furis in tabulam? ſero jam ſciſſa peribit!
Nam niſi tu ſcriptum perlegis, ipſa veni.
Et veniam certe; quoquo ſinis iſta valere.
Sed malim, dicas tu tamen ipſe: veni.
Quod niſi eris facilis, coges violenter amare
Da potius victas, dum potes, ultrò manus.



Quanta tibi facient ipsi convicia vultus,
Cum peraget candor voce silente reum?
Tunc tu te primum poteris sentire nocentem,
Tunc isthaec, dices, hei mihi fida fuit!
Haec quoque, quam cernes, haec est scribentis imago.
Ah quam pro chartis ipsa subire velim.
Quid nisi nunc etiam dominum convincor amare?
Non me nil quidquam noxia ficta juvat.
Aspera rescribant, quos sola injuria tangit;
Quem simul urget amor, tectius ille fremit.
Laesa fui primum Pentheis proxima Bacchis,
Et satis ad stomachum scilicet oris erat.
Nec reditura fui, Stygiam jurata paludem:
Iam veluti vinclis in tua jura trahor.
Pejus amo rursum, vel dum pejora legebam.
Sed novi vires sic quoque victa meas.
Saevit amor supplex, fletu crocodilus in ipso,
Tu fac, ne plorem: nec crocodilus ero.
Non cicures lacrymae, quas conflictatio solvit.
Hic bonitas odit virus amantis habet.
Talis in Aeneam Dido, blandita maligne,
Huc illud oculos, imbre cadente, tulit.
Talis perjuri promissaque, velaque Thesei
Flevit praecipites Cressa tulisse Notos.

Ah premor exemplis: felicior utraque vixit,
Haec cum Lenaeis tigribus, illa rogo.
Ille brevis luctus; noſter tot ſaecula crevit;
Aetatemque ferunt jurgia noſtra ſuam.
Forſitan hic credas tantum muliebria fruſtra
Arma capi, nullum vincere digna virum.
O precor, hoc poſſis; precor, in certamina ſurgas:
Littera pracipue te cupit iſta virum.
Femina tam valido jubeor certare magiſtro,
Telaque cuncta pati, nulla referre retro.
Vis, mea probra legam: prohibes reſcribere lectis.
Pro ſe quod ſapiat, num caput unus habes?
Vix mihi proceſſit verſu tua pagina primo,
Tunc poteram ſcriptis abſtinuiſſe tuis.
Virgo ego ſuſtinui; tu vir perferre recuſas.
Et mea te mulcet, me tua Muſa fugat.
Spernere me totam poteras: cur ſpernere verba
Sit labor? ah moneo, quod procul eſſe velim!
An cum mordaces pleno tu ſole libellos
Porrigis, illectos nox premat alta meos?



Publica cauſa tibi placuit: ſit publica cauſa.
Tu licet abjicies, quod legat, orbis habet.
Sed non carminibus mihi gloria quaeritur iſtis.
Ipſe legas: orbis tu mihi ſolus eris.
Nec tu verba leges faſtus teſtantia magnos,
Atque tuis ſimiles, qui domuere meos.
Sed molles elegos, nimiumque juvantia duros
Supplicibus refero nuncia vota modis.
Terea tu quando praefers, ego vinco columbas.
Nec dolus artis hic eſt: ars mea magnus amor.
Me miſeram! ſic ipſa volens me praebeo vinci,
Et monſtro, quo ſim confodienda, latus.
Dum precor, ignoſcas; venia peccaſſe probabor,
Atque ea, quae fugio, cautio damna feret
Ille triumphabit, tacitos dum prodo dolores:
Ille meos gemitus arguet orbe palam.
Certior a precibus, graviorque futura repulſa eſt.
Sic is, quae de me plurima jactet, habet.
Iactet et ille, licet, dum perlegat omnia certe.
Hoc mihi ſint damno damna redemta, precor.

Sed

Sed nec rivales te, vel quae neſcio, tangant
Probra Supercilio non patienda tuo.
Non tibi Carteſius, quamvis es totus in illo,
Prima meae fidei damna daturus erat.
Ipſe, quod accuſas, veniam tibi criminis auctor,
Ipſe mihi facias, ſi cano grata minus.
Sed nihil hoc vereor, ne, quod facis ipſe, moleſtum
Dixeris: exemplo ſum bene tuta tuo.
Hei mihi, cur timui tacitas manifeſtius iras
Prodere? Plus pudor hic ruſticitatis habet.
Da veniam, ſi certa quidem, ſed tecta fatemur.
Multa, licet ſimulas, prodis at ipſe mihi.
Et quoties relego, toties mihi gratior ira eſt,
Ipſeque fert pretium majus amore dolor.
Non bene diſſimulas; tua te facundia prodit.
Multum amat is, multis quisquis amare negat,
Aſperitate redis: ut conciliere, laboras.
Aſperitate cares: conciliare cupis.
Quod ſinis, hoc metuis: quod non ſinis, inſequar, optas.
Si tibi, quod mandas, annuo, triſtis eris.
Sic etiam rapta Briſeide ſaevus Achilles
Propter maternas otia captat aquas.



Nec modo non recipit, pugnat quoque, reddere raptam
Ne velit Atrides, velle sed ille facit.
Dum furit: et pejus saevit saevire recusans,
Pugnando vinci sic tamen ille cupit.
Tu quoque, dum fodicas, cinerem scrutaris amator,
An lateat nullis abdita flamma notis.
Optas mutus idem, quod nos; sed tectius optas,
Et pudet haec cunctis dicere verba palam.
Nec, quod verba sonant, friges: sed honestius ardes;
Nec tibi sons videor: ne videare, caves.
Utque prior laesus sic laesae irasceris ultro.
Ut cesset culpa culpa repulsa tua.
Sed nimium declaro dolos. deprendere furtim
Sat fuit: in lucem quid reticenda fero?
Quid, nisi prodidero, deprendere profuit artes?
Dicet is: exemplo ringitur ista meo.
Quod facit, ars nostra est; furem fur fallere tentat;
Ut queritur, questus sic prior ipse fui.
Tunc magis extimui, supplex a fronte libellus
Dum finxit verbis pondus inesse meis.

Nunc

Nunc propior laeſae rixis jam falſa fatetur,
Quae timui, ne fors vulnera vera forent.
Haec niſi tu ſentis; tamen haec ſentire videris.
Tum quoque ſi fallor, commodus error erit.
Ars deprenſa mihi eſt, ſi falſa noſter in ira es;
Nec me fraus porro jam patefacta decet.
Si furis ex vero, cur ſic, ut amare puteris,
Atque ita te videar demeruiſſe magis?
Dum ſine mente furis, ceu tantum ludere velles,
Ceu doleam, ludens ipſa, rependo vices.
Ut facis incertam, tu me, ſic pandere de me
Nil decet, et pandam: nec tamen inde ſcies.
Non ſum cara, reor. magni ſed ſuſpicor eſſe.
Cum toties dicas: noſtra ſit illa, precor.
Nam minuit laudes, ſed nunquam littera ſpernit.
Tum quoque, cum dicis: ſperno, dolere probas.
Dicis enim vilem: vilem ſed reddere neſcis,
Nec tua me critico verbere virga notat.




Quae centum, ac unum quondam objectare solebat,
Nil haec sedulitas, quod modo carpat, habet.
Carpat ut illa meos, non me vexabit et ipsam;
Unica nam fontem secta professa facit.
Nupta quoad fueram, juravi in verba mariti.
Nunc mihi de multis tuta probare licet.
Siquid Aristotelem fugit, vexata Sophia est:
Siquis is alter erat, carpsit Aristoteles.
Vera licet vidit, si non prior ipse videres,
Vera est per causas obruta causa tuas.
Siquem non damno, manifestum dicis amorem.
Si damnem, flammas dissimulare putes.
At sensu sibi quisque suo temulentus abundet.
Non ego cui placeo, protinus ille placet.
Nunc oculos aperire datum est, et vertere ludum:
Queis saperem, dentes fera propago mihi est.
Nunc dare qui voluit, fas huic auferre repulsam,
Quaeque diu questa est, ipse querare, facit.

Non mihi more tuo verbis ſtrepitare placebat;
Inque vicem potius, quod cupis, accipio.
Ah graviter ſaevis, qui damna petita minaris,
Quaeque tenere nequis, ipſe valere jubes.
Pellere cum poſſim, non eſt infamia pelli.
Non ego, te facto paupere, vilis ero.
Sed tu tacta mihi gelida ceu membra cicuta
Expallere putas, dum tua ſcripta lego.
Haud minus extimui, quam ſit Lavinia conjux
Proſtrato Rutulo territa pace tori.
Cur igitur flevi? nempe ut te flere docerem.
Cur ſum queſta prius? nunc ut ovare queam.
Admonitu renovanda fuit, ne plaga coiret.
Tum jactura gravis, cum tenuiſſe putes.
Cum ſupplex tibi viſa fui, penitusque recepta,
Perdor, ut Euridice, jam data, rapa fugit.



At puto, rusticitas tibi forte vocabitur isthaec,
Quod nil detrecto, laesaque laudo nefas.
Nam poteram revocare fidem, aut retinere precando.
Quem fugit hoc; mores non satis urbis habet.
Sed non est tanti. Vereor nec rustica dici.
Urbanam potius tu nimis esse doles.
Hinc illae lacrymae, cum urbes mihi, regnaque plaudant,
Quod senis effoeti nil valet arbitrium.
Sandalium Veneris citius stomachere licebit,
Quam carpas, aevi quod probat aura sui.
Publicus hic sapor est, ex quo mortalibus aegris
Corda dat argilla de meliore Deus.
Sublimes animae, quas non formidine turpi
Nidus habet patris: sub Jovis axe volant.
Non illis Cynosura opus est. Sine cortice nare,
Et nova tela sciunt Marte vibrare suo.
Turpis in alterius defossa scientia promtu.
Ecquis scire satis, quod sciat alter, habet?
Nec tamen hos fugiet, quidquid scivere priores.
Sed ne furta putes, sunt cumulata novis,

Nec successus abest: possunt, quia posse videntur,
Semper et inventis ulteriora petunt.
Demonstrant oculis, ne verbis jurgia crescant,
Ah nimium vera punximus ulcus acu!
Ipse velim tantos (modo nunc Plutonia missum
Regia te faciat) contueare viros.
Quo feror imprudens? Cur fomite sopio flammas,
Tene ausim culpa conciliare mea?
Scilicet irato rivales nosse necesse est,
Ipsemet ut videat, quae neque ficta velit?
At placet hoc aliis. fraus haec in amore recepta,
Nutriat ut tepidas aemula flamma faces.
Hoc equidem faciam, si vellem rursus amari.
At quae non cupio, quaero nec ipsa cupi.
Nec fraus ulla subest. tantum fortasse verebor,
Ne dicas, nostra est, quam mihi nemo tulit.
Nemo tulit certe. Sed non tua protinus essem:
Nec tibi cum multis tuta repulsa tua est.




Quod ſapitis, laudo: quod vos fugit, ipſane credam,
Caecaque pro vitiis arma movere velim?
Vapulet, arcana qui credit lege repelli,
Atque iterum arcano federe cuncta trahi.
Is licet occultas antico limine vires
Ejiciat, reduces poſteriore probat.
Occultas putat eſſe quidem, negat eſſe ſolutas
Corpore poſſe tamen, nec nova monſtra parit.
Nec tamen hunc tueor: retinere quis omnia cogit.
Caſtra mihi fas eſt, quae placuere, ſequi.
Et mihi quis monadas forma, ſpatioque carentes
Obtrudat? probet haec, quem juvat eſſe nihil.
Devoret iſta, precor Sileſius ipſe Lycaon (*)
At nimium gravis eſt haec medicina mihi.
Sed neque Carteſium (niſi nomine crimen in ipſo eſt,
Urbs etenim Paridem te Pariſina monet)
Sed neque Carteſium de me contende ſceleſtum.
Diſplicet ingenio, crede, Poeta ſuo.

Quas

(*) Cl. Wolfius.

Quas mihi delicias faceret, nam quaeris et iſtud,
Cui mens ſexcentis ebria vorticibus?
Omnia confiteor; miſcet quadrata rotundis,
Mille ſtruit motus; poſſe movere negat.
Atque, fatigatas ubi jam liquet Icarus alas,
In regione ſcobis regna quieta locat.
Ivit in haeredes ſententia lubrica: terram
Fixo ſole jubent aetheris ire vias.
Decernuntque adeo, quae ſit reſpublica Lunae,
Nec jam Xenophanes poſteritate caret.
Haec ego dum fateor, confeſſaque perſequor anceps.
Cur mihi das toties, ludo quod ipſa, probro?
An me criminibus ſatis eſt terrere meorum?
Rem facit alterius non miſi ſecta meam.
Si nullum ſequor ex toto, quid peſſima tangis?
Deficiente uno, nullus an alter adeſt?
Aut ſi tanta tuae tibi ſit fiducia laudis,
Alterius merito damna quid ipſe times?
Sed quae damna feres, niſi noſtri? Solane tanti
Sum tibi: rivales ultima cura forent?



Credere vix videor. Sed ne te cura fatiget,
Expoſui, quonam ſit mihi quisque loco.
Omnia nemo tenet: retinendus in omnia nemo:
Optima ſunt vario non niſi ſparſa ſolo.
Inde nec auctores, ſed tantum dogmata curo.
Haec probo: nil refert, Tros, Tyriusve ſiat.
Si ſapiant plures, ſapiam ſi pluribus ipſa,
In laudes ſtudeam caſta quid eſſe tuas?
At nihil iraſcor, verbisque ita mollibus utor,
Ut videar cauſam dicere velle meam.
Scilicet ille parum reus eſt, ſolemur ut ipſum,
Quod ſit cum multis conditione pari?
Quis credat? Quo parco magis, plus laeditur ille:
Hoc quoque ſupplicium eſt pluribus eſſe parem.
Nec tamen excuſes vel talia ferre procorum
Praelia; ſi modo ne totus abeſſet amor.
Hoc quoque finge tibi, quamvis et fingere durum eſt.
Si levior fueram, cur gravis ipſe parum es?
Cur ſi rapta fui, tibi danda vel ultro videbar?
Cur petitur damni gloria tanta tui?

Aſt ego ſi tragicas imiter nil territa voces,
Propatuloque ſonent verba profeſſa foro:
Falſus Ariſtoteles ſolus mea limina purget.
Hic tibi pallori, perfide, verſus erit.
Hei mihi difficile eſt, rixas confingere falſas,
Ebria nec ſano pectore verba fluunt.
At jamiam in melius veras converto querelas.
Si potes, audi iterum: ſors repetita placent.
Falſus Ariſtoteles careat me ſolus amica;
Non tu, ſed per te qui tibi falſus erat.
Aemulus haud fuerat de me metuendus amanti:
Quantum ad rivales, Icariotis eram.
Quos tibi credideras fidos, hi damna dedere,
Nomine, ne noſſes, dum latuere tuo.
Contra te ſollers, rerum male gnare, fuiſti,
Et nimium de te me meruiſſe doles.
Idem me falſos velles ſupponere partus,
Suppoſuiſſe tuis qui modo queſtus eras.
Quae damnas, tua ſunt: quae ſunt aliena, tueris,
Dum jam nominibus credis ineſſe fidem.
Nam ſimul Elyſium, ruptura ſilentia rixis,
De Peripateticis grandior umbra petit:



Iam gemit haec ultro, jam saecula prisca requirit,
Et nova te penitus dedidicisse refert.
Evigilant umbrae, quas Pluto quiescere jussit,
Et fremitu Ditis regia docta sonat.
Nam redit in cerebrum specierum missile vulgus.
A tot imaginibus jurgia quanta volant!
Stulte, tuos credis, qui de me crimina portant.
Dogmata, si sapias, fac, aliquando roges.
Tunc ego me fatuam patiar, caecamque videri,
Si mea vel nova sunt, vel tua nota tuis.
Nam quid Grammaticos, quorum est Aspasius alpha,
Commemorem partus admutilasse tuos?
Illi de cerebro veteres explere lacunas;
Quidquid non scirent, demere; scire parum.
Mox ubi opinandi sensim lascivia crevit,
Unica secta fuit: Tu, Plato, Zeno simul.
Iamque tibi assutus divini cento Magistri;
Iam de Zenonis veste resarta tua est.
Sit venia Ammonio, nec te, Dexippe, lacessam.
Quid querar hos? Arabes dum nocuere magis?

Quo

Quo magis admiror, quid nunc tam dira preceris,
Cum mihi barbaries temporis ejus abeſt?
Tunc infida fui, quamvis invita, marito;
Tunc ego, tunc ſenſi, quid ſit abeſſe virum.
Ah quoties gemui fruſtra Tophaile ſub illo,
Quem Quackerorum de grege quisquis amet.
Mitior Algazel, odium qui fronte profeſſus,
Nomine ſed reliqui ſe crepuere tuo.
Nam quid ſincerum ſperes ab Averroë porro,
Cognita cui linguae non elementa tuae.
Ille vel in titulis, et frontibus errat in ipſis.
Vah ſpeciem fidei, dum quoque fallit, habet.
Iam tu carpe novos. veterum quoque gratia rara eſt,
Concordes numerat ſecta nec una duos.
His Avicenna placet: ſchola damnat Averrois illos:
Se nequeunt; poſſunt jungere gryphes equis.
Quis tuus ex illis? num qui robuſtior ore?
Hac ibi dote tamen fas fuit eſſe tuum.
Vox pro luce, et bucca ſonans pro mente ſagaci,
Et rabies fecit pro ratione Sophum.



Nec quae vera forent, fed quae tenebrofa, probabant,
Curaque rivalem vincere major erat.
Et nifi fi totidem retuliffet verba, dolebat
In collega oculos alter ut hofte tenens.
Hinc nihili voces, et vocibus additus error,
Difcere quas gravis, et dedidiciffe labor.
Infidiae turpes, et monftra horrentia Blictri,
Rebus ut in liquidis myftica verba forent.
Omnia nam vero fi nomine dicere vellent,
Si caftis uti vocibus, ante fcias.
Sed nec mira forent. hinc ut graviora putares,
Difcebant fequius, quam potuere, loqui.
Et fi nullus erat nodus, tamen angere nullo
Se poterant, magna fedulitate rudes.
Sic lolium infelix, fterilisque adolevit avena:
Crux fixa ingeniis, dum fapuiffe nefas.
Nec pudor, his omnem nugis confumere vitam,
Et ficcas ftipulas exagitare fuit.
Sic tamen in Cathedras Capito fe fuftulit ingens,
Et tua, Gansforti, pallia nomen habent.
Ah quoties miferans, O languida faecula, dixi,
Queis non Holcotio doctior alter adeft!

Et quoties riſi, clamans cum ſaepe Comeſtor:
Dixit Ariſtoteles, vincere viſus erat.
Sed non Occamo, non Scotto comparo quemquam.
Hi norunt, quae ſe neſcit habere Deus.
Vulcani pedicas, et viſcera nentis Arachnes
Diſcernas citius, quam paradoxa Virûm.
Atque ita difficiles tantum Dialectica nugas.
Cum caperet, Logice tota Sophia fuit.
At Phxſicae tunc alta qſties, longusque veternus,
Et quidquid frugi eſt, ultima cura fuit.
Nam quis remigium teli, quod recta volaret,
Qualis in Aeneae venit arundo latus;
Vel quis ſollicitus labentia noſſe deorſum,
Quae ſenſit vertex, Aeſchyle calve, tuus?
Quis tunc Eurippos, qui te rapuiſſe feruntur,
Quis maris, et caeli tunc agitare vices?
Quem tetigit magnes, qui ſim, precor, ipſa marito,
Quemve ſub averſo picta trigona ſitu?
Num pronos jactus carptim gravitate cadentes,
Aut ipſas volucrum num didicere vias?



Electri vires, et nunc imitabile fulmen
Nunc quoque quis noſſet, ſi ſequeremur avos?
Quae via ſit lapidis, quem ſurſum navita jactat,
Effuſum ventis dant ubi vela ſinum:
Cur toties tonſo procurrant flumine teſtae:
Cur guttae ſaxum ſaepe cadendo cavent:
Quae cunei vires: quid in orbem trochlea poſſet:
Cur pugnent vaeuo ventre patere globi:
Cur modo quae merſit, Neptunus corpora reddat:
Quî caput ad fluvii verſa levetur aqua:
Reddere cur truncos ſoleat vocalibus antris
Garrula Nympha ſonos, nec prior ipſa loqui:
Aeolios ſummis quid frangat in Alpibus utres:
Cur venis filioum flamma citata volet:
Talia quaerenti, quae nunc jam trita ſeneſcunt,
Hoc unum poterant dicere: cuncta latent.
Quodque patres fugit, decuit neſcire minores
Id quoque, et antipodas dicere crimen erat.

At tibi, ſi memini, quondam mens altera ſedit,
Et primas Phyſicae tum dare certus eras.
Haec eſt, ne dubita, tibi quae dat in omnia regnum,
Perque Medicaeos ne Plato praeſtet, obeſt.
Nec tibi ſunt veri res incomperta colores,
Cuncta nec ad ſolem viſa referre novum eſt.
Anne Stagiriten taciti latuere meatus,
Quae remeat fuſus clauſtra per arcta fluor?
Scilicet is totum qui dixit in aethere ferri
Aëra, materiam non probat ille meam?
Hunc rear occultis aſciſcere cuncta tenebris,
Qui cauſam, cur lux transſpiciatur, habet?
Tune ſonum caeco repetis rudis hoſpes ab ortu?
Tune Jovem vacui fingis habere metum?
Nata modo ſurſum, morientia nuncque deorſum
Num ſunt impetuum millia nota tibi? (*)

(*) Inter ultimos noſtra tempeſtate Ariſtoteleos Profeſſor quidam Graebelius ſub annum 1756. Impetum, accidentis abſoluti genus, quaquaverſum naſci aptum, defendebat Ingolſtadii.



Nonne magis placcuit fons exterus aetheris acti?
Sed cave, quae ſentis, confiteare tuis.
Non placet his aër, nubes ſuſpendere naſus:
Sole trahi ſtatuunt, quidquid ad aſtra volat.
Omnia ſideribus juvat hos accepta referre;
Scilicet his longas quis neget eſſe manus?
Nec liquidas dixere domos ſtellantis Olympi;
Quod ferat Alcides, ne, puto, deſit onus.
Ut fungos memorant ſine ſemine ſurgere terra,
Haud ſecus e putri te quoque, bruche, citant.
Nunc age, quid mentis credis, mea vita, fuiſſe
Tunc mihi, dum vixi parte minore mei?
Atque equidem tacui; nam quid ſine vindice poſſem
Femina deſerti poſtuma praeda tori?
Non Seji ſonipes, haud illos emtus in uſus,
Mutavit toties, quos male mulctet, heros;
Per varios quoties ego ſum trajecta magiſtros,
Vendibilis culpa facta Sophia tua.

Nam

Nam quid Alexandro viſum eſt me credere ſoli,
Curque nihil de te conſcius orbis habet?
Cur fieri doctos, niſi te praeſente, cavebas?
Cur ſinis ambiguos, qui tua ſcripta tenent?
An quia diſcipulo regnum cum Rege magiſter
Geſſeris, haud fuerant fata timenda tibi?
Tu moreris, moriturque tibi Jove natus Alumnus,
At nullis tabulis vivo ſuperſtes ego.
Dic mihi, quid feci, quod pignora vera negares?
At, quae non dederas, cur petis illa tamen?
Cur laeſum quereris fedus? num laedere poſſim,
Cui data, quam ſervem, non fuit aequa fides?
Ut dicar ſentire ſecus, quid ſenſeris ipſe,
Dic mihi: quod quereris, quaeritur iſtud idem.
Vel tu teſte proba, quae ſit ſententia menti.
Quid peto? ne conſtet, maxima cura fuit.
Ingenii famam tibi; perfide, colligis uni,
Ingenio cauſas ſed tamen ipſa dedi.
Scilicet hinc longas pallenti lampade noctes,
Meque fefelliſti, ne meus eſſet honos.
Nunc ego perjuro ſim religioſa marito,
Qui ne fida forem, prodidit ipſe fidem?
An quia nil nocui; quia diſſimulavimus iras,
Nos credis facinus praeteriiſſe tuum?



Non satis est? impunis abis: punire laboras
Nunc etiam, et sceleris, cujus es auctor, agis?
Hunc ego complectar? quin te ferat ultima Thule!
Erravi: poenas, si fugit ille, levat.
Haec vindicta placet: fuero tua, nec tua dicar.
Semper ero conjux, semper et hostis ero.
Regna tibi soli cupiebas, solus habebis,
Nomine sed nunquam regna vocanda tuo.
Invitus teneas: nequeam tamen ipsa teneri,
Et quaecunque juvant, sed sine lege sequar.
Te tantum fugiam: saltem tua nomina perdam.
Atque utinam toto tota carere queam!
Sed nequeo: foret aut cunctis caruisse necessum;
Dum novus edideras cuncta priora parens.
Et tamen hoc laudi est, cupiam licet ipsa minari,
Te sine quod nequeam vivere, posse velim.
Non ego te quidquam, sed, quae sunt optima, prenso.
Sic quoque, quem fugio, persequor usque virum.
Accipio: Sint haec nobis commercia tecum,
Ut semper nolim, cogar amare tamen.

DE
MODERAMINE AMORIS
LIBER SINGULARIS
CARMINE
DIDACTICO;
INTER PRIORES TERTIUS.


Prava vel es, natura, nimis contraria legi:
Vel tua naturae contraria barbara lex eſt.
Bern de la Mannoye. alla Haye 1716.



PROLEGOMENON

Olim a me inchoatum Monachii sub annum 1761, tractatumque hoc argumentum cum jacuisset deinceps magno temporis intervallo a me plane derelictum, multo demum, posterius rebus jam commutatis, atque etiam dimissa Historia, coepi quodam in otio ad incudem, ac partim ad limam revocare. Itaque recisis non paucis, accessiones porro feci multo majores, ut jam in systema quoddam coagmentaretur. Ac tum demum intelligebam actum esse mecum pulcherrime, ut carmen olim per avocamenta alia non possem longius perducere; quippe qui tum eram par sane haud futurus disceptationi, in quam incurrit materies; quoad et ab experientia rerum humanarum, et ab lectione aliud statuentium firmius ad dissentiendum, aut ad expoliendum accederet judicium. Neque vero quae postea reperi, arripuique, si

vel



vel antea occurrissent, tum forte ausurus eram complecti, neque saltem integrum erat futurum profiteri. Neque Poëtam tamen ita in arctum cogi quisquam posse putaverit, ut philosophica veluti compede incedat vinctus; et rursum ut ad stringendum res ita nectat curiose, quin hinc inde nativa loquacitate quaedam a propositio veluti digredientia interserat. Satis erit rerum capita quibusdam suffulta ponderibus commodum intexere, ac cetera jam indicata relinquere cogitanti. Quod si vitio datur: at vett. tamen Poëtarum exemplis defendar. Usus vero sum non ea modo, quae Poëtae concedenda sit, venia; sed et illa, quam Philosophus sibi asciscat, ut juris duntaxat naturalis capita persequatur, nec religionibus philosophicum poëma impediat; nisi quod est aliquando monstrandum, nec illas quidquam refragari. Hic *cum solam sequi rationem instituissem: animadverti tamen postea, in systema Philosophiae Epicureae suapte me incidisse, cum ejusdem fundamenta, ratasque sententias necdum antehac exploratius perquisivissem: quas ego jam isthic ex Gassendii interpretatione, atque expolitione repetitas tanto lubentius ad meas opinio-*

nes

nes adlegi, ſaepiusque interjeci; quanto eſt jucundius ab aliorum, qui jam dudum idem probaverint, conſenſione ſententiae patrocinium. Pertinet cognitio haec omnis tum ad conſulendum ſibi providenter, tum ad judicandum de aliis moderate; cum ex prudentia demum totum pendeat; unde et ipſa honeſtatis, ac, ut vocant, moralitatis *petitur regula: quod erit non paucis ſatis novum; cum ſit tamen cum rebus item aliis, e. c. cum moderamine politico, perquam analogum. Ceterum redundaret argumentum in verſus etiam haud paulo plures, ſi rerum vena ubertatem ſequeretur. Sed malui, productioris evolutionis cauturus faſtidio, ſyſtema in pauciora contractum hic dare: cujus et epitomam Lectori ad inſpiciendum non fore ingratam autumavi.*



PERIOCHA

A verſu 1 usque ad v. 183 deducta amoris cum febri comparatione, ejus damna pertexuntur, ac jam conclu-



dendum videtur, hunc esse mali ingentis loco habendum, cavendumque.

a. V. 183. Ex Sectae Epicureae sententia dubitatio interponitur.

a v. 201. Culpae origo arguitur alia esse quaerenda, neque in ipsum conferenda amorem.

a v. 235. Depellitur argumentum adversarium ex pudore duci solitum.

a v. 403. Amoris laudes inde ab rerum procreatione repetuntur.

a v. 443. Diluitur, ac lenitur invidia ex similitudine cum febribus.

a v. 475. Natura ipsamet suis se febribus curat.

a v: 506. Modus artificiosus duplex harum febrium naturalium damna cohibendi traditur, in exemplum tractandi amoris accipiendus.

a v. 531. Modus prior legitima conjunctione, ac stabili difficultatibus tamen, ac periculis et ipse non vacat

605. Modus alter adhibendo temperemento: quam in rem Sophia invocatur. Axiomata populum perturbantia praemittuntur.

a v. 647. Refutantur, qui in moralibus deceptionem asciscendam putant, quique res parvas pro magna noxa exaggerant.

a v. 729. Aliqui ex principiis valde dubiis, et obscuris sua de moribus decreta ducunt.

a v.

a v: 791. Pleraque cupiditatis damna non ex re ipſa, ſed ex adjunctis, ac conſecutionibus rerum proficiſcuntur: quae in amore, praeſertim ſiquis ſe ipſum haud noverit, ſaepe praecipites actus habent.

a v. 917. Hinc praecipue aetas inexperta ab amoribus removenda; ſed ſine ſaevitia.

a v. 977. Monentur etiam adultiores, quam difficilem, ac periculoſam ſubeant aleam.

a v. 1013. Nec tamen res univerſe tam inſidioſa. Commendantur igitur regulae prudentiae in anteceſſum adhibendae, atque adeo monſtraturae, quomodo ſit etiam in periculis verſandum.

a v. 1057. Praeter cautiones jam praemiſſas altius levandus eſt animus: ubi in sectae Epicureae laudes excurritur, atque animi exercitationes commendantur.

a v. 1161. Sed facultatem multo majorem afferet voluptas animi ex virtute proficiſcens: ubi primas fert prudentia, cujus gubernacula deinceps per reliquum carminis deducuntur.

a v. 1213. Movetur primum quidem querimonia, tanquam nimium hic quidem ſeverus videretur Epicurus, et ſupervacaneam poſtulare abſtinentiam. At nihil ille hic nimis; ſi neceſſariam ſpectes exercitationem.

a v. 1241. Et compenſat ardua ſuperata jucundiſſimus fructus puriori naturae voluptate guſtanda; aliis inuſitata. Oſtenditur iſthac inductione cum amore praecipue belligerandum eſſe.



a v. 1395. Nec ſola tamen voluptate animi homo paſcitur; ſed tantum, ut iſta primas ferat, neceſſe eſt; cum ceteroquin mixta eſſe poſſit.

a v. 1437. Maxime ad limites adtendendum cujusque voluptatis, ut ſecundum hos prudentia ſua gubernet moderamina, et jam coerceat, jam indulgeat. Hinc duplex artificium et abſtinendi, et conciliandi.

a v. 1479. Cum ſine virtute non poſſit voluptas vera conſiſtere, et inter virtutes prudentia maxime ambiguam habeat honeſtatis regulam: hinc principium ſummum repetitur ex notitia naturae minime infuſcata; unde cognitio veri, boni, ac pulchri pendet: quae inter ſe magis finitima ſunt, quam vulgo creditur. Hinc facilis tranſitus ab uno ad alterum.

a v. 1527. Hoc moderamine amor, qui pulchra captat, erit innoxius, imo et idem etiam ad excolendum animum utilis: ſi ratio opportunitatum, et adjunctorum temporis omnium habeatur

a v. 1549. Conciliantur inter ſe vett. Philoſophorum hoc in genere ſententiae; ſic tamen, ut Epicuro primae tribuantur.

a v. 1575. Per anacephaleoſin prudentiae axiomata denuo recenſentur, et oſtenditur, ex ejus moderamine ſummam homini naſci voluptatem, ſummum bonum.

DE-


DE

MODERAMINE AMORIS

LIBER SINGULARIS.

CARMINE DIDACTICO.

Eſt, puto, febris amor, tacitos quae permeat artus,
Hic, velut illa, ferox: eſt, puto, febris amor.
Quis febrium cauſas; cauſas quis novit amoris?
Quid magis orbe frequens? Quid minus arte patet?
Arte patet necdum, ſanies quo fonte vehatur,
Quaeve maligna trahat, cum febris oſſa quatit.
Ova quis, et pepones credat celare venenum?
Saepe febrim pepones, ovaque ſaepe cient,



Nec vigil illapſum magis ars deprendet amorem.
Ille ſuo caecum vulnere virus alit.
Nam Cur jam toties jurato fortior inſtat ?
Cur vel qui renuat, ſponte coactus amat ?
Cur cito nil unquam merituro munera gratis
Fundimus ; et praemiî cernere poſſe loco eſt ?
Cur amat ignarus formae, ſociique caloris ?
Cur etiam, qui nil ſcit, quod ametur, amat ?
Cur ego quem videam ſocors, hunc arſerit alter ?
Cur, modo qui ſtupuit, vix modo frena feret ?
Cur nunc viſus erat cauto mihi ſtultus amator ;
Nunc pluris falli eſt, et mihi verba dari ?
Nempe febris curſum revocat, viresque reſumit :
Haec certe eſt ſubiti commoda cauſa mali.
Nonne ego, ſi meus eſt, poſſim prohibere furorem ?
Si fruſtra experior : faex aliena ſubeſt.
Sic neque cum tremulos febris quatit artubus artus,
Dant aegri votis frigora pulſa locum.

Sed

Sed coeptum peragunt contra ſuſpiria penſum.
Carmine ceu magico, clinice victe, jaces.
Saepe miſer ſentit, non ſe, velut ante moveri:
Saepe repens menti monſtrat inepta jubar.
Mox tamen exleges ubi vult componere formas,
Transverſum turbo jam caput alter agit.
Sic qnoque fertur amor: ſubito dilucet honeſti
Rima; velut ſomni, morbus amoenus abit.
Falleris O, quemvis caecum qui ducis amorem.
Saepe acie gemina lynx in utrumque ſat eſt.
Dum dubitat, liceatne novum guſtare furorem;
An magis expediat ſtare tenace gradu:
Hem ſubito medicas ruit indignatus habenas,
Arma nec, ut cuperet, jam ſua promta tenet:
Cum gravior caeco dubium rapit impete vortex,
Dumque parat ſtultum ſe meminiſſe, facit.
Quanta tulit Pueri Minoias icta ſagittis,
Iuſſaque Amazonium Phaedra perire Virum!
Quam ſe tutata eſt! Quae contra praelia movit!
Sed dedit obnixae colla, manusque Deae.

Siqua recens fenfum perftrinxit plaga vacantem,
Iam glaucoma oculis credit abeffe fuis.
Iam furit, atque minas, quas non velit ipfa valere,
Ceu gereret vinclis libera colla, vomit.
Iurgia quin infert plus corruptura, quod optat,
Diffidiumque diu fe bene ferre putat.
Cede, mifer: ne[illegible]s: non te faftidia torquent:
Ira, quod ereptum eft, velle tenere probat.
Mitior acceffus querulisne parabitur armis?
Offenfam meritus cur videare, facis.
Sic, quam perfequeris, magis ibit gratia retro.
At tu, quam bilis fit tibi lenta, fcies.
Nempe redardefcet mage flamma exercita rixis,
Et cito fubtilis definet ille dolor.
Supplicium durare odiis, fimulareque faftum
Majus erit: timido fortia verba cadent.
Iamque reum fe fert; mox et fcelus expiat ultro,
Et duplici pretio non fua facta luit.
Debilitas febribus comes it: gracilenta fatetur
Corpora Cydippe vix fua ferre potis.



Magna fames quamvis ſtomacho monet ire levamen:
Vix tamen aegra manus durat ad ora viam.
Nec minus immodicum vires fruſtrantur amorem.
Quando amat, Alciden Lyda puella domat.
Quid leviore manu, quam libri vincula ſolvas?
Hoc quoque non potuit rem mihi faſſus amans.
Non potis imbelles fuerat contendere nervos;
Ut ſumus a ſomnis claudere ſaepe volam.
Sed minus eſt animi miſeris, mens conſcia juris
Nec manet: arbitrio febris, amorque nocent.
Exſolvi vinclis miſer etſi perditus optat,
Contemni toties dum bona verba videt,
Et videt invitum non poſſe obſtringere pectus,
Sed praeda caſſas ſemper abire manus,
Et, quae jura petat, ſibi ſumere cernit in ipſum,
Ac impune ſuas exagitare faces:
Non tamen offenſis mens perdomitura fatiſcit,
Et minimo ſpatio dum ſapit icta, nequit.

Nempe aperit mentem, sed non dolor acriter urit,
Nec videt ut noxam, frena parata videt.
Quidquid in ingenuos pollet, cur gratia cesset,
Perpetua posthac vix reditura die:
Non valet in laesum, quem spes male torquet, amorem,
Sed studia in vitium non revocanda ruunt.
Non bene quid certum, dubiis quid credere par sit,
Quod rebus pretium, quae nota, librat amans.
Iam sapor in febribus quantum est corruptus! Anchelat
Quo res laeva magis, tam graviore siti.
Quid tamen, in febribus quidquid mihi carpis, amorem
Ad captum cunctis sensibus esse potest?
Fusca vocat pice nigra magis: sic fallit in ipsis
Vocibus hic passim, quas fatuare solet. (*)

Quis

(*) Belle hanc rem exemplis prolatis illustrat Laelius Bisciola Horarum Subsecivarum Tom. I, Lib. IV. cap. II, cui titulus: *Calumniatorum, Adulatorum, Amatorum hoc potissimum vitium, ut rerum nomina invertant.*



Quis spurii possit gustus exempla referre;
Quando odiosa aliis hic sibi grata facit?
Mens quoque febre labat, quamvis sit frigida tantum,
Et patitur subitas debilitata vices.
Non memori species constant in sede; tenentem
Iamque iterum minima deseruere mora.
Illa dies frustra est: suspensa negotia sunto,
Dum praesens iterum cras sibi pectus erit.
Sed mage diffugiens animus, qui ex corpore pulchro
Pendet amans, partes deserit ipse suas.
Proditor ille sui tamen hoc nescire fatetur,
Ipse quis aut fuerit, quidve sit ille modo.
Hoc tantum novit, quid mens, licet ebria, poscat;
Quod studet impensa conciliare sui.
Plautinus juvenis (Pudet ah meminisse) petulco est
Servo factus, equa quo potiatur, equus. (*)
Quid de se Flacco vix libertate decembri
Sat Davus incolumis dixerit, ipse refert. (**)
Non-

(*) Plautus in Asinar III. 3: magis enim de amore, quam de pecunia agebatur.
(**) Horat. Lib. II. Satyra VII.

Nonne hic mentis inops amor haec deliria fecit?
Abſenti ſanum quid ratione venit?
Quid decor, atque pudor jubeant; quae lex ſit honeſti,
Quis male caligans hac ſine noſſe queat?
Denique relliquias febrium, cum vincere morbum
Iam datur, heu quales caſtra relicta dolent!
Vocem aegrae, ac veterem fas eſt cognoſcere vultum,
Quaerenti timide vixque reponit: Ego.
Non amor eſt furtim nunc conſuluiſſe ſpecillum,
Artus dum pallor marmoris inſtar habet;
Dumque ora exedit macies, et pectora tuſſis,
Et gravis eſt humeris ſarcina palla prior.
At maleſuadus amor, ſanti, quae damna relinquat,
Condar ut ipſe caput, tantus acervus erit.
Haud nomen, vel opes querar; aut his quidquid inhaeret.
Extera ſunt; quae fors viderit, anne piet.
At quae naturae flos fert ſibi propria tantum,
Fraus haec decoquere eſt tempore magna brevi.

Haec nemo praeſtare queat, ſi noxia primi
Facta ſemel veris molle deuſſit opus.
Ecce, valetudo proſtrata virentibus annis;
Anxura lanugo; crus capulare quid eſt?
Teſta refloreſcet febribus ſpoliata capillo.
Non redit, immodicus quod temeravit amor.
Pridem exempla tibi quis decantata requires;
Cum cedant hodie priſtina quaeque novis?
Nec ſat jacturis percelli talibus unum.
Serpere et in plures ſontica cauſa ſolet.
Et fluxas ubi nil mentes natura moratur:
Cetera nunquid erunt relligioſa magis?
Num pietas, ſtabitque fides? Injuria nonne
Miſcebit totos turbine, vique greges?
Atque ita, quando aliam non fert epidemia curam,
Eventu tragico eſt tota luenda lues.
Sic Sybarim, Sodomamque ferunt purgamine triſſi,
Humanumque undis decubuiſſe genus.
Si clades reputas, noſtra eſt quibus icta propago:
Vix ferre invidiam noxia culpa queat.
Et dubitemus adhuc, febris an mage mitis amore,
An ſit ſaltem apto nomine febris amor;

Dum morbi Hippocrates imitamina mixta caduci,
Atque adeo criticas elicit inde notas? (*)
Ergo velut febres, ſanus vult nemo, ſed arcet:
Sic reus eſt toties rejiciendus amor.
Atque ita cum ſit idem pellax amor, atque voluptas:
Quis Sophus hanc ſummum quit ſtatuiſſe bonum?
Et tamen hoc potuit gravis auctor, et aſſecla multus,
Etſi Epicureae voce notatus harae.
At ſi lucidius vera internoſcere cures:
Haec quoque erit melior fronte Sophia ſua.
Nempe duas facies rerum genus omne capeſſit,
Et multum variant hocce, vel hocce latus:

Al-

(*) Aſſumitur hoc tantum ex vulgi perſuaſione, quae auctorem habet Macrobium (Serm. 6 Saturn.): re autem vera vix Hippocratis haec fuiſſe ſententia videtur, quando in iſtius Epidemicorum librum tertium commentans Galenus, illam improbans Democrito potius tribuit: *Quid fuit neceſſe ſcribere, dixiſſe Democritum, eſſe coitum parvam epilepſiam?* &c. Clemens vero Alexandrinus idem effatum ad Protagoram Democriti auditorem refert (II Paedag. 10.) Stobaeus autem (Apopht. I de Abſt.) ad quendam Eryximachum: ut proin nimis quam incerta ſit auctoritas.



Altera ſi patuit, quo criminis arguat, auris:
  Non ſit vindiciis altera clauſa, decet:
Aut ratio nunquam conſtabit limpida veri.
  Et tamen hic certe, quod dubitetur, ineſt.
Namque age, dic, quando nec amorem ducere victum,
  Nec ſalva fas eſt hunc ratione ſequi:
Jam neque fas hominum generi ſua damna cavere;
  Ac fruſtra admoneas, quam fugiendus amor.
At tu ſi vinci Puerum non poſſe negabis;
  Forte etiam is jungi cum ratione queat.
Tum cedo, quidquid morboſum impingis amori,
  Huncnè mali culpam tu penes eſſe putas?
Nonne feret totam ſola immoderatio, frenis
  Dum velut admiſſis caeca lubido ruit?
Quid melius Bacchi, Cereisve ſalubrius uſu?
  Immodici nolunt ille, vel iſta capi.
Gratus agris calor eſt. Nimium ſi ponis, hiabunt.
  Gratior hic imber. Sed cataracta dolet.
Dulciſona e ſilvis digna eſt Philomela reduci.
  Aſſiduo aſt aures puniet illa ſono.

Quae

Quae nos cunque juvant mage parco limite ſumta,
Haec eadem nobis immoderata nocent.
Nunquid ſic et amor bona res queat eſſe; tametſi
Utentis ſaepe eſt improbitate malus?
Quidquid at incautis enaſcitur inde ſiniſtri.
Provida peccatum mens minus iſtud habet;
Quando nec eventus circumſpicit illa ſequaces,
Ac neque naturam conſulit illa ſuam.
At nequam ipſummet nobis qui fingit amorem,
Fallitur, haudque anceps contulit ille latus.
Motio, qua ſenſus varie, ſanguisque feruntur,
Si ratio dux eſt, optima quaeque venit.
Sit procul a nobis, iram qui damnat herilem
Segnities tonitrus dum reboantis eget.
Quis facinus clarum, quidve edet vindice dignum,
Si ſit ob injuſti frendere facta nefas?
Non fruſtra haec nobis inſevit provida primum
Natura: Aſt uſum mens oculata regat.



Haec causas, videatque modum: male parcit habenis,
Iusta ubi conditio vel tibi limes abest.
Hunc licet in cursu rursum definiat ista:
Culpa modi peccat, quam mala causa, magis.
Sic quoque ne per se turpem mihi defer amorem.
Talis erit, quando nesciet ille modum.
Nesciet ille modum, deerit si cura futuri,
Et mens officium negligat ante suum.
Atqui hujus proprio convincunt probra pudore,
Dum quaerit latebras; dum subit ora rubor?
Nequitiamne igitur non hic jam continet in se,
Hisce suis qui jam proditur ipse notis?
Quid fuit, Edenis tempe inter pulchra Parentum
Quod sensu ingrato perculit ora repens?
Nam pudor ingratum vitii sub nomine quiddam est.
Nonne igitur probro tum rubuere suo?
Corporis at rubor ille fuit tum nuda videre.
In quo igitur probrum, jam quoque crimen inest.


Quidnam exempla mihi obtrudis perplexa tibimet,
Quae ſi ſic caperem, ſat male ſcripta forent?
Namque verecundos quidnam tenuiſſe Parentes
Inter ſe poterat prorſus utrumque pares?
Non poſthac tales ſeſe videre viciſſim?
Anne verebantur tum quoque rurſus idem?
Nonne ergo alterius, cui nota priora ſederent,
Arbitrium veritos verius eſſe putem?

Scilicet hujus ubi praedictio protinus ipſo
Corpore jam graſſans conſtitit: inde pudor.
Haec et culpa ſua, ſimul et deprenſio culpae
Purpureas poterant urere luce genas.
Sed nihil affingas his amplius. Urſeris illud.
Fruſtra, hos, quae liceant, foeda putaſſe tamen.
Atque etiam pudor eſt conceſſis ludere, quando
Arbiter interſit, quem vereare, tibi
Non male quod faceres; ſed quod rem flecteret ille
Aut tibi deterius, deteriusve ſibi.
Sed tum quis fuerat coram, niſi ſcilicet ipſi?
Cenſuram tali quam timuere foro?



Pone aulaea loco, lectos conclude tapetis,
Incruſta triplici denique ſumma tholo:
Secretusne magis fuerit tibi quisquis amantum,
Quam ſub ſideribus tunc ut uterque fuit?
Res cauſa caruiſſe nequit. Sed fingere vix fas
De motu inſolito ſic rubuiſſe genas,
Atque et in hoc iterum timuiſſe piabile crimen;
Virginis ut caſtae mox gravat ora pudor.
Nam ne miſcueris nimium diverſa. Pudore
Inſuetam hanc probri detinet ipſe metus.
A teneris etenim praeſtans jam ſenſus honoris,
Delicium formae, pectore fixus ineſt.
Hinc pavet illudi, ac ceu jam deprenſa veretur,
Diſcrimen verbo ſi propiore moves:
Virginibus primis quis praevia pectore panxit
Iudicia haec, eſſent cum duo labe rudes?
Hanc ubi non norant, quodnam illis nomen honoris.
Qui caſtae ſenſus integritatis erant?
Corporis admonuit facile mutatio quaedam:
Admonuit culpae ſed tamen iſta ſuae.

At nisi quid vetitum nossent, haud culpa subire
Ulla animos poterat suspicione recens.
Ac neque tam socio, quam se rubuisse necessum,
Natura culpae spectra pavente, foret.
Nec statis est pavisse: etiam damnasse necessum est:
In vultum haud alias curreret inde pudor.
Quod si fecisset rerum ignoratio: nil hinc
Concludi tuta tum ratione queat.
Nam certe metus hic oneri non debuit esse,
Nec potuit noxae subdere jura novae.
Hinc neque credibilis pudor hic: neque nuda videre
Natura innatis horruit ipsa notis.
Quae *nudum* Hebraeis, vox haec notat ipsa *retectum*,
Ah per quot varias ante remissa vices!
Haec magis in culpam, quam corpus convenit ipsum,
Tegmina quod nulla sumserat ante die.
Inde *perizoma* est, dubio de nomine versum:
Nam vox arcta loco quaeque notare queat.
Mens rea nempe, quibus se conderet, abdita suasit,
Et *scenam* e ficu textile struxit opus.



Hinc pudor eſt verus, ratio quem certa laceſſit,
Et pudor hinc liquida qui ratione tenet.
Et pudor eſt, poſſit veluti qui Panicus inqui;
Cum tantum falſo tranſit in ora metu.
Et rurſum pudor eſt, hominum quem juncta voluntas
Firmat, et arbitrii rem facit eſſe ſui.
Hujus pertaeſum eſt merito tam vera ſequentem;
Quam contra obſcuris pergitur ire viis.
Sunt ſua (quis dubitet?) ſtudiis communibus urbis
Iura, ſuus conſtat moribus aequus honos.
Falſa quid at mediis arceſſunt nomina rebus?
Cur huc naturam, cur ſacra quaeque trahunt?
Non pudor hinc alius ratione potentior unquam
Naſcitur. Arbitriis cetera nempe valent.
Et valeant! Sed dicta ſuo ſub nomine ſunto,
Ac pudor haec laedi publicus inde vetet.
Aſt ultra maculare neſas, quam poſcit honeſtas
Publica, dum pendent iſta, pudorque ſimul.

Nam qui naturae fertur pudor esse, caducas
Saepius hic causas, queis teneatur, habet.
Caeci etenim sensus censura coarguit aegre,
Quod ratione sua non magis ante liquet.
Nil gremio natura malum fert, dicere contra
Quod nequeas alio nomine porro bonum.
Quae corrumpantur, seu quae corrumpere possint,
Omnia sunt decuplos apta subire modos.
Ni fuerint bona, corrumpi quis diceret? Et quae
Corrumpunt, quantis viribus ecce valent!
Et modo corporibus dum non bene convenit istis,
Convenit ast alia cum sibi parte magis.
Sic etiam sensum male quod perstrinxerit istum,
Grata alium poterit deliniisse mora.
Saepe, quod offendat visum, tamen illicit aures.
Quod tactu asperius, judice nare probum est.
Quaeque gravi contra noscantur odore molesta,
Eminus haec oculos digna tenere putant.



At quoties ſenſu tantum deliria vulgus
Penſat, et hocce probat; damnat at iſtud opus?
Inſcia naturae quoties ſe turba ſceleſtos
Innocui accuſant, ceu malefacta forent?
Fallit ut hos ſenſus; pudor eſt ut Panicus iſtis:
Sic itidem eſt illis, quos ſua turba trahit.
Non illos plures, quam pro ſe quemque, propenſum
Quid minus, aut mage ſit, gluma videre ſinit.
Gluma eadem eſt cunctis perſuaſio ſenſibus orta.
Funditus haud quidquam cernere cura fuit.
Hinc homines paſſim latet hos fons verus Honeſti,
Fallit et innumeris os populare modis. (*)
Nam quoties tantum ex uſu conſurgit honeſtas?
Inter ſe hinc gentes tam variare vides.
Nam quid Arabs digitos (non ſit manus ipſa) retectos
Si videt, hoc facinus jam meretricis habet?

Aſt

(*) Hinc Epictetus apud Arrianum (lib II, c. 22.) admonuit, *Nihil eſſe honeſtum, aut certe metiendum opinionibus hominum.*

Ast age, quaere Sophos, qui sese exacta tenere
Confidant: sensu quid relevante vident?
Quam multa hic passim non extricata necessum est
Mittere, in ambiguum rejicienda genus?
Nec momenta licet contendere saepe, nec ansas:
Arcanas adeo res habet ista plicas.
Difficile est fines naturae figere certos.
Nil stulto at levius, quam labor isthic, erit.
Solvere quod nequeas, multo est discindere ferro
Promtius: hoc statuunt instar habere Dei.
Gens audax hominum! quaevis imponere jussa,
Arbitrioque putant stringere posse parem.
Vis ea, vis tantum est, in partes quando trahuntur
Continuo plures, victor ut unus ovet.
Est aliud ratio, qua se respublica firmat:
Namque ex cunctorum congruit illa bono.
Hoc sine non aliud, quam quod vult Hobbius, est jus,
Infirmum ut fortis Marte, vel arte premat.

Quin premit et mores; nam quid magis obfuit illis,
Quam pompa impenſis civica ſaepe ſuis?
Hinc in diverſas abeunt erratica partes
Federa, dum rectis non licet ire viis
Hinc conflictari naturam rurſus honeſtas
Compulit, occurſu crebra noverca ſuo.
Atque unde haec tamen eſt populi niſi nata ſapore?
Nec patitur claudi finibus illa ſuis.
Divinum affectat nomen Ceramicus hic ingens;
Quod ſub, et in tectis noctua multa ſedet. (*)
Si tibi Maecenas, bello rigidiſſimus heros,
Diſcinctus laudes tempore pacis habet: (**)

To-

(*) Erat Ceramicus Athenis duplex hoc nomine locus celeber, ut Suidas impertit, alter in urbe porticibus ſubſtructus; alter extra urbem, ubi bello caeſi magno honore publice inferebantur, antiquior hic, atque a laterculis, qui ibi coquebantur, ſic dictus; ceramus enim Graecis laterem ſignificat. Figlinae hujus nomine univerſum noſtrum, aut certe hominum ex argilla genus hic venit: alluditur item tum ad caecitatem, tum ad corruptionem humanorum judiciorum, praepollente paſſim pecunia; dum et Athenis noctuae, Palladi ſacrae, non in tectis ſolum erant, ſed etiam in nummis: unde Gylippi ſervus multas ſub heri ſui ceramis latere dixit, pecunias ibi abditas indicans; de quo plura Plutarchus in Lyſandro. Utrumque genus cum ſaſtu imperitat.

(**) Conf. Pedonis Albinovani Elegiam in obitum Maecenatis in Collectione Poëtarum vett. Lat.

Totum nonne vides ad commoda publica ferri,
Ac populi mores utilitate coli?
Publica ſic conſtent. Non menti hinc regula ſemper.
Hinc nihil et pudor eſt: ſed rationis eget.
Hic quoque, ceu quaevis animi permotio, caecus
Non mihi dux, tantum ſed comes eſſe queat. (*)
Hunc igitur quianam virtutibus addere Divum,
Et radiis poterant cingere velle caput?
Dum pudor exhorret nudum vel nomen amoris:
Ad vitium ratio non niſi damna refert.
Haec videt ante diu, numeratque, libratque, cavetque,
Sicque ſinu innocuas temperat illa faces.
Faſcia, quae puero eſt, debetur et illa pudori.
Hic quoque, nec raro, lumine captus adeſt.
Hic, velut ille, vigil ſi alternis excubet horis,
Utaturque oculis: ſanctus uterque mihi eſt.

Par-

(*) Confer cum his quae habet Plutarchus in Commentario de vitioſó pudore.




Parve, mihi Paphias tantisper cedo sagittas,
Si potes et currus, et mihi Matris aves.
Haec tela in calamos diffingam, qui cruce nomen
Tanquam infame tuum figere porro vetent.
At curru dans lora procul super ignea caeli,
Evehar, antiquum despiciamque Chaos.
Quando Erebi mater Nox, et jam lucidus Aether
Secessere suas in, nova regna, domos:
Cardine dum medio jam terra, fretumque pependit,
Haec quoque dissidiis parcere lenta suis.
Quis litem istorum, nisi Amor, sine lite diremit?
Quisque elementa novo federe vinxit? Amor.
Quis sexum, nisi tu, conflasti dispare sexu?
Undeque praecipue delicianturi? Amant.
Quis, nisi tu, agrestes pacta in socialia duxti?
Quisque urbes sociis urbibus auxit? Amans:
Haud sic te Graeci primum, haud coluere Latini,
Qualem te nobis fabula sera canit,
Sed

(*) Conf. hanc in rem plura apud Ovidium Fast. lib. IV, v. 91, seqq.

Sed jamjam ex alto gentes majora profeſſae
Symbola habent laudes non tacitura tuas;
Quae cum natura regnum commune fatentur,
Atque animam rerum te penes eſſe volunt. (*)
Fertur Eleuſinis, Phrygibus ſub voce Penatum
Fertur, et in Sacris ciſta, Canope, tuis:
Ciſta arcana, oculis minime temeranda profanis,
Auxilii nequem faſcinet illa loco.
Hinc clavis varia, ac certo ſinuamine ſerpens,
Atque fuit Janus jam tua forma bifrons.
Res eadem cunctis; tua magna potentia nempe,
Ac in naturae commoda promta bonum.
Non igitur poſſum, quod ſic inſederit, et quod
Conſpicuum in noſtra conditione venit;
Cum ſuperum fuerit munus, mox credere factum
Ad nos fallaci tranſitione malum.

Pan-

(*) Symbola haec cum ſuis imaginibus libri, et apologetici Alchimicorum abunde ſuppeditabunt. Ianum addet Ovidius Faſtorum lib. 1, v. 52: et Cudworth Syſtem: Intell. p. 572. et 615.




Pandoram incautus mihi tantum imitabitur hoſpes,
Intempeſtiva cui patet arca manu.
Inde etenim facile genus effluet omne malorum;
Cum laxet, vinctum quod voluere Dei.
Nusquam alias fuerit Divum donatio fraudi.
Quidſi etiam medico ſit medicina dolo?
Eſt quoque febris amor; fateor; permotio quando eſt.
Sed febrium quasvis quis putat eſſe pares?
Elogiis etiam quasdam exornare Sophiſtas
Non puduit, viſos hic ſibi paene Sophos.
Inde cohors veterum naturae praelia febrim
Credidit, adverſum dum movet hoſtis opus.
Haec ubi jam contra certamine functa ſecundo eſt,
Inde valetudo praemina opima refert.
Viribus ille novis ſemper ſi fortior inſtat,
Scilicet effoetam jam dare terga putant.
Hinc fieri, ut ſeſe conſanet ephemera paſſim
Sponte ſua, temni digna, nec artis egens.
Sic quoque vix quidquam morbum cunctantur amoris,
Quando is pro ſano corpora noſtra ſubit.
Imo ita ſi recto ſtent porro et cetera talo:
Naturae appoſſitus (quis neget?) eſſe poteſt;

Sic,

Sic, ut jam vix haec male conflictetur amando:
Insumat vires sed magis illa pares.
Inde quod est aliis epilepsia nomine turpi,
Virgilio est suavis membra per alta sopor.
Hoc Jovis exemplo, post Hectoris, ante at Achillis
Lubricus ille Umber Demophoonta docet. (*)
Ac dare recta queam de corpore computa sumi:
Temperie de animi lis, puto, major erit.
Se tamen ille Cato, quem Stoica castra celebrant,
Usque Jovem Semeles ipse fuisse refert,
Semper fulguribus cinctum, semperque tonantem;
In thalamos adeo venit ut ille suos.
Quin etiam febribus dicunt quandam esse salutem:
Nam certe his liber rectius inde valet.
Hinc illis natura velut pus ejicit aegrum,
Cogit et hunc, qui non pharmaca sponte capit.
Quam sit naturae, non est sapientia major:
Utitur haec morbis, curat et ipsa suis.

Fert

(*) Propertius lib. II. Eleg. 22.




Fert nimios tellus utero dum foeta vapores,
Ac Titan solito plus favet igne facis:
Flaccida languescunt hominum jam corpora summo
Mane: trahunt aegre, quo calet aura, diem.
Causa later; nisi quod se pinguior undique prodit
Halitus, elixas lassat et usque fibras.
Taurus et ipse furens jacta petit aëra nare,
Ceu captaturus frigora, siqua forent.
Arescunt segetes; mutant vitiata colorem
Germina; tabe gravi cuncta laborat humus.
Longius haec durent: sitis hic, maciesque supinas
Exstinguent plantas. Nimbe saluber ades!
Nec tamen in promtu est, ceu dum Phaëthonte reguntur
Solis equi: nec opem, si cadat illa, feret.
Una salus febris est, intra sua viscera prudens
Quam natura sibi condit, et usque ciet.
Haec calidis miscens frigentia, electripotentem
Incitat in toto, qua patet, axe molam.

Fertae jamque, recens ceu bullit ſicera, nubes
Fermento ſpargunt edita quaeque ſuo.
Diſſidiis creſcunt, faciuntque coagula curſu,
Pugnacique volant caelica caſtra ſono.
Hic utique et nimbi, et tenebroſa mole procellae,
Fulminaque, et grando turbine quaeque furunt.
Quem feriunt, ſacer eſt: feriunt ſine lege. Sed omnis
Cetera, quae jacuit, nonne revixit humus?
Aura meraca redit, quando febris illa peracta eſt.
Jamque virore novo roſcida planta fragrat.
Has properat natura vices: obſiſtere fruſtra eſt.
Aſt ſuperat ratio, conſiliumque tamen,
Idque duplex: cura, vel ut abſit noxa furori;
Aut hunc ut quoddam temperet artis opus.
Sic haud naturam tolles: ſed ut effera ne ſit,
Hanc coges utens morigerare tibi.
Traduce perficies, feriant ut fulgetra certo
Tramite propoſitum, quem meditere, ſcopum.
Alterum ut obtineas, diſtentos aëre folles
Reſticula in ſuperas fac volitare plagas.

Pendeat hac Serum multo filamine textum,
Haerere electri cui fluor actus amat.
Hoc enim homaeotonon retines velut aëra vinclo,
Cessat et occursus saevior hujus ope.
Utraque consilii plena est via: et utraque rursum
Convenit in febres, torte Cupido, tuas.
Est his persimilis crisis, et medicina salutis:
Nec longe morbi dissidet ortus abhinc.
Hunc liquor ignaris secretus renibus excit:
Nec levior solis fax bona forma loco est.
Aurae mox velut electri se spiritus infert:
Per jecur, et venas sic vaga flamma volat.
Pressa, repressa ruit, curis et sudat anholis.
Ah quoties longas lis trahit ista moras!
Tum quoque crudeli se saepe ulciscitur ictu,
Si gravis, aut stulta parte repulsa venit.
Legitimos quodsi thalamos hic consulo, cuique
Quo sua sit certo traduce freta domus:
Exleges tollent pariter, timidique cachinnum:
Omnes hoc nullo nam monitore sciunt.


At quod tam promtum eſt, caret haud diſcrimine duro.
Hic Rhodii ſaltus: huc, age, confer opem (*)
Grata medela foret: ſed lege ſtatuminat uſos
Tam rurſum illa gravi; morbus ut ipſe gravat.
Si male proviſum eſt, et ſi malus uſus amoris;
Si diſrupta jacent, quae tenuere prius;
Si tua jura nequis defendere ſumtibus ipſis,
Et tamen haec ſtabili conditione manent:
Nae paucis animi poterunt accedere, pacto
Ut tali laeſum pectus amore levent.
Aſt opis haud noſtrae eſt, nodos hos ſolvere rerum,
Quos variis leges implicuere minis,
Conſulere hae poſſunt. Sophiae nil dogmata proſint,
Si currant alias publica jura vias.
Si lex abludat: tamen haud natura probroſa eſt.
Haec vice mota nihil conſtitit usque ſibi.
Hac ego ſi facilem febrium defendo medelam:
Nil, quod difficilem mos facit alter, obeſt.

(*) De adagio: Hic Rhodus, hic ſaltus conf. plura apud Eraſmum Rot. Chil. III, Cent. III, Proverb. 28.



Nec tamen accuſo: ſed nec locus iſte tuendi eſt:
Natura ratio quid duce monſtret, habe.
Qui cupit exſtingui tantum, nimis impete caeco
Brutus fertur amor, pugnat et ipſe ſibi;
Quando alimenta fugit ſua: nam cur deſinat ille,
Ante ea ſi, merito quo caperetur, erat?
Sunt etiam pretioſa, ſibi quae credit uterque:
Mutua ſunt igitur federa dote pari.
Haec ſervant meliora, fidem ſi quilibet addat,
Eſſe ſua illius; illius eſſe ſua.
Natura haec ſtabilem ſpectent cum pignora nexum:
Provida habet ratio multa putanda prius.
Nam licet haud unum natura imponat amorem,
Cedere nec tetris calibus illa vetet:
Haec tamen effugia incurrupt in taedia rurſum.
Optima ſimblicitas, cui ſua firma fides.
Hanc retinet natura lubens, gaudetque beato
Munere. Turbatur lege, vel arte nova.
Sed nexus primos gradus, et fortuna diremit,
Dum datur haud multis vivere ſorte pari.

Hinc et jure ſuo decedere ſaepe neceſſum;
Dum pauper pretio deteriore meret.
Et meret ad tempus quoque, conditione coactus.
Si nocet arbitrio haec: quis notet ergo ſcelus?
Hac dejecta tenus ſi res, neque cura medendi eſt:
Eſſe quis ad tempus pacta ſtatura neget?
Reddite fortunam parilem (ſi poſſe ſaluti eſt)
Diſpariles et erit poſſe cavere toros.
Hoc certe admoneo: qui per diverſa vagatur,
Non volupe id capiet, quod fovet unus amor.
Sentiet in variis demum tamen usque caducum.
Fruſtrantur dominum propria dona minus.
Credite traducibus non eſt confidere tutum;
Ni bene ſcis, quo ſit fixa catena loco.
Saepe quis articulos furto ſublegit inepto:
Materies vitium ſaepe doloſa facit.
Tunc tibi ſulphureus converſa cuſpide retro
Sulcus, ut invoſitet ſub tua tecta, redit.
Sic, ubi tu temere, inque incertum mittis amores,
Neſcis, quid quondam federa rupta parent.




Nam cave, ne veluti deprenfus pignore Judas,
Iuftior eft dicas, ah tua caufa mea!
Sic et Afer, proles nimis ingeniofa Tagaftae,
Congeminat, culpam perfequiturque fuam.
Tempus ad exiguum modo cum caruiffet amica,
Non bene vir;t anuit fedt amen illa fidem:(*)
Atque ita fe merito levitatis crimine damnat.
Scilicet hunc callem federa laxa petunt.
Quanto autem melius circumfpicit omnia paucis,
Expers qui fraudis nec timet ipfe dolum!
Qui poterit; nec habet rem quaerere caffe neceffum,
Cur fraudet dubia fe vagus usque fide?
At tu, quem leges magis arcto carcere cingunt,
Degener hac tota fors eris orbus ope.
Traduce defendi non te fortuna finebat,
Traducibusve uti lex, animusque vetant.
Confilii alterius tibi proin jam indice promo
Eft opus Hoc princeps nunc caput artis erit.

Vos

(*) Auguftinus enim lib. VI. Conf. c. 15. fe *infelicem* illius *imitatorem* agnofcit.

Vos tantum lenes in carbasa nostra Favonii
Ito, ratemque levi ferte per alta trabe,
Et tumor, et rapidus procul absit turbo: recusat
Temperies versu dia feroce cani.
Te Sophiam votis voco: tu Palinurus eunti
Per scopulos ut sis, qui duo pone strepunt.
Hoc ego jam petere auspicio Symplegadas ausim;
Sic tamen, ut medium prora capessat iter.
Contudit infamis quondam haud tot rostra Caphareûs,
Quot geminum hoc cymbas aequore mersit acron.
Fertur utrumque inter, qui, dum moderatur amorem,
Nec penitus damnat; nec male versat opem.
Vates, Naso meus, sibi quam Podalirius aegro
Promtior, ingenium perdidit hacce schola.
Nam qualis Medicus, vis morbi ubi sederit intus,
Qui tantum externas admovet usque manus?
Quique ita praerupto sensum scit trudere sensu,
Ut vitium exaequet sons medicina suum?

Sic ubi non unquam vulſum eſt radice profunda,
Mox redit in pejus, quam fuit ante, malum.
At neque, qui penitus morbum exſtirpare laboret,
Hic itidem punctum protinus omne tulit.
Noſtris Stoa Sophis rem non perſuaſerit ultra.
Et tamen hic ſunt, qui paene ſequantur idem;
Dum gravis accuſant noxae genus omne voluptae,
Et vitium jam in re ſe reperire volunt.
Quanquam alii ſe parva negant agnoſcere poſſe;
Non, quaſi non eſſent; ſed quia magna trahunt.
Hos ego confiteor laeſo candore notari;
A vero aſt propius fraudis abeſſe modum.
Fraus tamen eſt: cur vera tacent? Sic certius ajunt
Ambigua vulgus relligione capi.
Poſſe negant, niſi falſa ſinas intexere veris.
Errorem haud populo poſſe deeſſe ducem.
Nam quid propoſiti eſt noſtri, niſi damna cavere?
Qui magis aſſequitur, nonne priora ferat?
Sic mihi Dephorumque tripos, atque antra Tryphonii,
Lucus et Hammonis nunc ſtupefacta dolent.

Hinc

Hinc etiam populo quam multa ſalubria quondam,
Reſponſa et dubio quot rediere duci?
At ſi mendaci patieris fallere fuco:
Quem poteris ludo jam ſtatuiſſe modum?
Omnis erit menſura lucrum. Reſerare feneſtram
Si ſemel inſtituis: claudere porro nefas.
Nec modo dementi cantatur fabula vulgo:
Pergit in auctores congeminata ſuos;
Conſtringitque ſophos; patitur nec vera liquere,
Deliciasque ſuas atria ſumma facit.
Et temni facile riſu digniſſima poſſent;
Non item ubi longa jam valuere mora.
Dogmata nec curem; ſed quae falſa inde ſequantur;
Quando ad plura eadem rurſus amuſſis erit.
At quaſi non veri poſſet plus integer uſus?
Dum contra haud ſocia fictio faece caret?
Hinc cave, tu monſtres in parvis magna vereri,
Tempore ne laevo ludat imago rei.
Nec tanquam inſideat jam noxa cuilibet auſo;
Sed tantum illatebrent quanta pericla, doce.



Quae fieri possint; nondum at sint facta, cavendi;
Non jam damnandi jus tribuunto tibi.
Tu bene praemoneas; mala sed mendacia dices,
Si, quae nec levis est, sit tibi noxa gravis.
Non semper valido sonuerunt lubrica lapsu.
Saepe per haec modica pes catus arte volat.
Vera pericla putas: lemures cur fingis ineptos?
Terre ipsa intrantis lubricitate gradum.
Ducitur in longum facile sententia quaevis,
Anxius interpres grammata quando colat.
Vina suis Arabum voluit vitata Prophetes,
Occupet ebrietas ne male tuta viros.
Ecce superstitio quo pergit sordida! Fracto
Si forte in puteum sint mera lapsa cado. (*)
De lympha gustare nefas; quia guttula Bacchi
Imbuit ingentem quantulacunque lacum.

(*) De his Mohammedanorum, qui se veros profiteantur Musulmannos, superstitionibus confer. Equitis d' Arvieux Itinerarium. Tom. III.


Nec ſatis. Iſte latex ſi toſtos irriget agros:
Fas farre haud veſci eſt, quod feret illa ſeges.
Amplius adde haedum, qui paſtus ibat in illos.
Hic quoque delictum ſe comedentis habet.
Affecla jam legis verus decernitur ille,
Qui tali obſtrinxit relligione caput.
Cui redit inde bonum, niſi cui praeſtringere fas ſit;
Ut ſit opus tali conſule cuncta geri?
Ignarum facile eſt umbra terrere piacli.
Si pergas, etiam, quod licet, ille pavet.
Conſultum redeat, ſi vis, ut ſaepius: en tu
Quam belle inſidiis noſceris ipſe tuis!
Poſt ubi ſe luſam decepta licentia ſenſit;
Compenſat ductas duplice beſſe moras.
Duxerat apricans puerilem forte catervam,
Altricis, cuſtos, cui data cura domus.
Non magis Acteon aſpergine percitus undae eſt,
Hujus quam feriit lumina ſcena repens.
Namque puellarum fluviali in littore turmam
Vidit inire hilari tuta lavacra joco.



Quid faceret? Fuerat propter tranſire neceſſum.
Conſilium haud lentum talis arena tulit.
Verſus ad ille ſuos: Cito claudite lumina, dixit.
Qui videt, hic oculis protinus erbus erit.
Illi connivent. Tandem de haud ſegnibus unus,
Eſto! unum tenebris ſpondeo lumen, ait.
Sic aperit laevum: claudit panus altera dextrum:
Thireſiae totum ne ſequeretur onus.
Aſt ubi ſalva acies; dextrum quoque liberat umbra,
Laevo ſuppetias ut comes alter eat.
Ac: Nihil eſt, inquit, pueri mihi credite, nil eſt.
En video; atque iſthaec ſaepe videre juvet.
Omnis proinde cohors ad nymphas lumina pandit,
Inque tropum avertit dicta proterva ſenex.
Naſutosne fidem cenſes habuiſſe deinceps;
Siquid ab ancipiti fluxerat ore novum?
Suſpicio manet haec: Fors rurſum ſublinit ora:
Cur non, quod proſit, dixerat ille prior?

Ex-

Expedit haud proin illudere talia frauſos,
Condita nec parvis fingere magna dolo,
Nonne etiam petulans in ſeria tranſiit ardor,
Nomen ut auderent conſcelerare rei,
Haec tanquam in ſeſe jam prorſus foeda deceret
Artificem, qui ſic condidit iſta, parum?
Mollius aſt alii: aſſignant ſua munia membris;
Quid natura velit; dos ſua quove ferat.
His quod contra venire putant, pravum ilicet in ſe
Decernunt. Utinam ſat ſua ſcita probent!
Nam ſolitos conſtat naturae finis in uſus.
Quis ſcit, praeterea quid ſine fraude ferat?
Quisve omnes finire modos, aut ſuſtinet actus,
Quin capiti noſcas hunc tribuiſſe ſuo?
Sunt equidem in quibus eſt hominum ſententia concors
Naturae ut vitium rumpere ſepta putent.
Atqui eadem clara ducunt ratione ruborem,
Non onerant adeo, quae dubitare ſinant.
Sunt quaedam propiora malo; ſimul adjice cauſam:
Jam, tibi deterius quod fuit, ecce probas.




Eſſe nefas ſcimus, calidum fudiſſe cruorem.
Vindictam qualem guttula ſaepe dedit!
Non, age, ſit morbus; nimius modo forte redundet,
Nigrave monſtrificus ſomnia ſanguis alat.
Mox tibi de ſecta creſcunt convivia vena,
Nec quemquam vulnus tam geniale movet.
Quin ſi te ipſus icis, quosdam ut tibi ſanguis in uſus
Non multus ſcateat: quis ſcelus eſſe putat?
Quando homines agimur ſenſu; neque vulnera ſenſus
Aut facit, aut patitur, quis probat eſſe nefas?
Parte pecus ſit homo; quando ſimul eſt pecus, et mens.
Iſta ſuae pecudis, jus teneatque ſuum.
Ad venerem, dicunt, quidquid contendit, ademtum
Eſt illi merito, cui Venus ipſa nefas.
Si tamen inde nefas, Veneri quia noxia juncta eſt:
Non venit hinc coeptis omnibus iſta comes.
Quod caret hac igitur, dic, cur tu mittis ad Orcum?
Quid, niſi quod per ſe rem facis usque malam?

Aut

Aut ita natura ſtatuis devincta, reſolvi
Ut nequeant, noxam vel reſoluta creent.
Hoc doceas, opus eſt. Poteris vix, credo, docere.
Eſt gradus: et, gradibus pluſcula jura favent.
Multa vacant hominum in plures munia fines:
Cui foret in majus; jus minus eſſe negas?
Saepe aliquis nudo ſe ſedere paſcit amici.
Delicium, ut dapibus, quis ſociare vetet?
Quod ſomnis natura ciet, permittere rebus
Per ſe conceſſis num dubitemus idem?
Nec ſemper, cui non meta eſt conceſſa, caventem,
Si poterit citra ſiſtere, culpa notat.
Crapula aget ſtomachum vertigine denſa, caputque
Parva ſapit ſtomacho, parva levatque caput.
Si tibi coepta Venus dicantur ſuavia quaevis:
Et, quidquid bibimus, crapula coepta tibi eſt.
Non res foeda: facit ſed foedam intemperies rem,
Et male pro Maniis quaeque libido venit. (*)

No-

(*) Erant Maniae Priſcis, Feſto teſte, turpes, deformesque larvae, quaedam etiam ex farina in homi-



Nomine abutuntur paſſim, dum crimen in illo eſt,
Scrutantemque tamen cauſa petita fugit.
Quod ſcelus eſt per ſe, ſcelus id ſit ſemper, oportet;
Non alibi rurſum deſinat eſſe nefas.
Legitimum ſi reddat idem res altera, per ſe
Inſons, ex alio ſic ubi pendet, erit.
Eſſe quidem poterit ſaltem. Tu conſice cauſam
Criminis, hic ut ſit; non ſit ut illud ibi.
Hoc quam, tu citius fluviorum littora ſtringes;
Hinc quae ſi claudas, tam magis inde noces.
Nonne vides? Quot inire vias natura ſubegit!
Haud, quem tu velles, alveus unus aquae eſt.
Ut mala ſit res communus, ſine crimine de ſe,
Criminis in partem, quae comitantur, eunt.
Hinc ratio videat, coëant quo cetera pacto:
Atque haec ſunt, debet ſons pudor unde ſequi.

Haec

minum figuras fictae, quas nutrices pueris minitabantur. Hic denotatur, male rei turpis imagine libidinem quamvis jam pro ſeſe adumbrari.

Haec cum jam damnis expendere pleraque par sit:
Ex aequo haud cunctos ista ferire queant.
Namque alii nocitura parum tibi tetra venena
Fors contra fuerint vel temerata semel.
Cui fortuna favet, Genium curare licebit.
Imparis ast vires quaeque pusilla premunt.
Cymbula mergetur fluctu, quo Pristis, et ingens
Sub rate Centaurus sentiet esse vadum.
Mercari mercem res est concessa cuivis.
Sed refert, quanto quisque, quod optat, emat.
Ipse sibi damnum dederit, si pluris ematur,
Quam fortuna domus, quamque crumena sinat.
Otia qui captans mox paucula lucra ligurit,
Tempore non multo scilicet Irus erit.
Talibus inclamant omnes, ac jure cavillis
In re non alias probra merente strepunt:
Namque vident, istos quae denique fata sequantur;
Quamlibet est illis incita visa procul.
Hinc sceleri dant sorte sua viventibus illud,
Quod lucro est, si non audit in urbe scelus.



Delicias quasvis terit inſtitor aſper ad imum,
Si puer his captus negligat aera ſuus.
Nec tamen hic vitium reprehendi in ditibus ullum,
Si caro redimant gaudia, poſſe putat.
Qui ſibi provideat minus, aut quo laeditur alter,
Huic fuſtem impingunt, huic probra juſta parant.
His rerum adjunctis penduntur damna voluptae,
Cauſaque momentis ſtatve, caditve ſuis.
Hinc opus in primis pulchre tua noſcere, teque,
Ne ſubeat damni culpa pigenda tibi.
Principium eſt a te: minor undique cetera noxa,
Si modo te ſolum ſat bene noris, erit.
At morbi hic ſedes. Fugimus nos ſcilicet ipſi;
Atque oculos facile quidlibet ante tenet.
Hic tibi tu rectus, prorſusque videbere frugi,
Ac animi ſolita ſimplicitate probus.
Haud noſti temet; licet hactenus iſte fuiſti,
Atque es adhuc. Sed ama. Quam procus alter eris!
Quid poſſit, neſcis, affectio corde potita.
Hunc hominem ante oculos tu tibi ſiſte prius.

Siſte prius: feriunt etenim praeviſa remiſſe,
Ac bene vitandi dant quoque ſaepe locum.
Aſpice praecipitem ſcopuloſo e pariete Rhenum,
Quem nebula ex imo ſpumea paene tegit.
Non ſtrepitus ſinit audiri lamenta virorum,
Et modo ſemireis irrita vota ſonis:
Nam conata diu necquidquam appellere navis
Impete diripitur prorſus agentis aquae.
Sera opis. In limbo vix punctum hanc cernere poſſis,
Atque ſimul ſubtus fragmina ſparſa vides.
Ceſſiſſet monitis una maturius hora:
Iam religata ſuo littore ſtaret adhuc.
Et, puto, ceſſiſſet, ſi vim praenoſſet aquarum,
Quas decuplo celerat lapſus ad ima gravis.
Tam refert neſcire nihil, ne tempora fallant,
Queis procul in tutum ſalvus abire queas.
Nec tu credideris rapidos magis amnibus actus,
Dum cadit ex altis unda ſupina jugis,
Quam rapit incautas amor in ſua vincula mentes.
Vix ſapiens volucri ſat queat eſſe Deo.



Non tibi tot miſcet ſimulacra procacia Morpheus,
Ad vivum pictor, ſed ſtator usque levis:
Nec tot Vertumnus ſpecies objecerit illex,
Ex vetula juvenem reddere gnarus anu:
Nec tot Getulis variant tibi ludicra ſilvis
Gens, ſimiae, nugis fallere ſueta dies:
Quot lepidas rerum formas, obverſaque in unum
Federe monſtra ſuo jungere novit amor.
Ille vel in nudas cautes, tua teſqua, Canope,
Thebaidosque altas ſcit penetrare ſpecus.
Non ibi ſolivagos horret, nec inhoſpita tecta:
Sed macie graciles torret et igne ſuo.
Quid fugitis fruſtra? Tamen hic quoque lumina paſcet,
Hucque puellares inferet ille choros.
Usque loquax formis latus ob verſatur utrumque.
Luditur haec vario fabula prima joco.
Sed jamjam hic hami latitant, innoxius inde
Hoc minus exibis, quo placuere magis.
Jam captus capies, jamque uno fructus ad illud
Ex ſolito perges, quod tibi porro velis.
Ut prima obtinuit, ſic rurſum audacia vires
Succeſſu ſemper velificante capit.

Sique vel hic abſit, jam dextram aſtutia junget.
Hic tua ſimplicitas; hic, age, candor ubi eſt?
Nam fodicat ſtimulus nimis irrequietus amantem,
Qui ſemper quaedam ceu meliora petit.
Illiciere igitur, neque reſpectare valebis,
Quo primum in ſpatio ſiveris ire pedem.
Terruerit temet tam ſcaeva licentia ſaltus;
Propoſiti nunquam qui fuit ante tui.
En hac lege ſalutat amor. Sic inde catena
Nectitur: urgetur ſic gradus usque gradu.
Invidiane putas Superum quaecunque coacta
Pyxide Pandorae delituiſſe mala?
An malles bonitate Deum ſic carcere clauſa;
Nil alibi noxae quo ſupereſſe queat?
Utraque cauſa labat. Naturas altera neſcit;
Convenit in Superos altera nempe parum.
Dic mihi ſed, bona res cur hic male ceſſit habenti?
Et noxae tegmen cur relevaſſe fuit?
Inter ſe rerum quamvis elementa repugnant,
Ac vires aequas quilibet hoſtis habet:
Ordine vincta tamen Dii compoſuere ſecundo,
Ut ſeſe alterius quaeque ſalute juvent.



Sic acor est dulci immixtus, sic pingue volanti,
Sicque itidem in nostro sanguine juncta natant.
Haec nequis temero vecors divelleret ausu,
Diî passim dederunt integumenta super;
Nomine quae caeco plerumque obtecta recursant,
Funguntur que etiam vindicis ipsa loco.
Ac recte utentem bene te tractata juvabunt.
At poenas, franges si male claustra, dabis.
Nam quod spissatum fuit ante salubriter intus,
Compedis impatiens jam volat omne foras.
Nec satis hoc: jungunt alias inversa figuras,
Jamque nova sese mutuo lege cient.
Tunc etenim glomerant turmas, quae stare deinceps
Imperiis cogunt debiliora suis.
Inde lues, pestesque meant; dira inde venena:
Quae male missa Deum calliditate putant.
Sic et amor, nisi scita manus monstraverit artem,
Immemor, indomitus, perfidus inde ruet.
Hinc juvenes, puerosque, nimis male cauta pericli
Pectora, quam poteris, fac, ut amare vetes.

Nam neque res aetas iſthaec, neque novit habenas.
Hoc mage pernicis praeda futura Dei eſt,
Immatura ſimul Veneri, matura vigori,
Creſcere quo vires, ſanaque membra petunt.
Addidit hinc ultro complura his tegmina prudens
Natura, ut ſtimulos falleret ipſa ſuos.
Quis mihi Riphati claram de ſtirpe juventam,
Quis celebret ſatis, hanc qui docuere, Patres?
Hanc illos ſophiam video, normamque ſecutos,
Naturae ac proprios rite notaſſe gradus.
Corporis uſura, venatu, curſibus aetas
Exacta eſt, robur quae juvenile parat.
Siquis amor, belli in ſtudiis ſocialibus unus;
Nondum vicenni femina crimen erat
Hinc pubes Germana graves excrevit in artus,
Et ſobole hinc vegeta tam valuere tori.
Parcite deliciis teneras incendere mentes;
Parcite propoſita ſollicitare lupa.
Si bene ſuccreſcunt, ſenſus ſat leno ſuusmet
Eſt illis, partes ac ſtimulantis agit.



Jamque ultro in placitos deflectere lumina vultus,
Quaerere amicitias, ire frequenter amant.
Iam multa arcana ſecum ſub mente volutant,
Nec pueri pueris credere voce timent.
Et tamen eſt illis haec pandere cuncta parenti
Relligio; arbitrii ſed rubor hujus obeſt.
En retinacla, ſuo quae ſcite tempore noſcas
Inſita naturae, nil nocitura dehinc.
Poſtmodo nam facile difflabunt huncce pudorem,
Quando opus haud porro cautio talis erit.
Cautio nam quaedam eſt, non fraude inducta, ſed ortu.
Ne paſſim excuſes utilitate dolos.
Decipit haud Auctor, vel cum glaucomate naſci
Dum finit. Aſt homini hoc addere velle nefas.
Hinc quamvis pueros arceri ab amoribus optem:
Chironem Aeacidi te tamen eſſe vetem. (*)
Pullulet et quamvis intra praecordia quiddam,
Et facere hic nidos jam videatur amor:

(*) Alluditur ad Iuvenalis locum Sat. VII. v. 213.

Tam caecum hoc tamen eſt (abſint exempla, requiro),
Arbiter innocuis rebus ut eſſe queas.
Plus habet integritas rudis, et manifeſta leporis
(Sic, velut in catulis) vindice quam ſit opus.
Cum rerum ſit trames adhuc incognitus, aetas
Utilis eſt monitu quolibet iſta regi.
Fac, opus objicias, quo diſtineatur abunde;
Et fac, amoveas, queis laqueanda foret.
Fac ſtudiis guſtum, juvenum quibus emicat ardor:
Jam longe oblitis flammula ſegnis erit.
Si nimis invigilas, tanquam male ſedulus auceps:
Jam puer ex iſto ſuſpicioſus erit.
Et ſi vi reprimas, legesque ſeverus acerves;
Tam magis obdures, alliciasque magis.
Ipſa parant corpus Veneri flagra, et aſtibus aptant.
Excitus e nervis ſpiritus inde volat.
Ingenium quoties ſervile haec verbera quondam
Exacuere! Luit, quae male juſſit, herus.
Nec tu confidas verſutis artibus aſper:
Et pueri naſum rhinocerotis habent.




Verum age, qui validis jamjam eſt maturior annis,
Cum Paphio nobis litiget ille Deo.
Jam dixi, haud poterit: melius niſi noverit ante
Adverſas vires; norit et ipſe ſuas.
Hasque niſi teneas, jam dura catena malorum
Te ſerie nexum diſimulante trahet.
Quod blande intrabat, fatalem denique morſum
Inferet, ut calido fota colubra ſinu.
Taeda velut magico vitiabit lumina vitro,
Ut videant, quod nil; non videantque, quod eſt.
Eſto, licet primo te telo haud flexerit arcus.
Saepius at peragent jam repetita latus.
Faſcina praeſtringent te ſenſim plura caventem
Iam minus, atque minus: dum dabis ultro manus.
Hoc neque diſſimulo, vel cum diſpendia ſero
Sentit amans, monitus hos prohibere parum.
Namque ubi concaluit, curſusque amor explicat orſos,
More ruit ferrum ſponte petentis apri.

Hei mihi! quae nimis impavidus diſcrimina ſpernit!
Tantine eſt, quod ſic, tamque profuſus amat?
Jamque age, ſi ſpecies placuit tibi digna petente:
Tene oculis unum pulchra notare putas?
Quod laciat plures, cupient et ſcilicet ipſi.
Aſt hic te miſerum mille pericla manent.
Cura coërcentem nimis irrequieta tenebit:
Taedia erunt minimae ſuſpicioſa morae.
Quidſi etiam nimium dolor hic exaſperet iras,
Ut tibi conturbes ipſe petita magis?
Adde, quod innata ſibi dum bonitate doloſos
Metitur, paſſim caecus aberrat amor.
Hinc qui delicias ſibi tuto eſt carpere viſus,
Se ſpolium inſigni credulitate facit.
Iamque et fortunae ſiqua inclinatio facta,
Eſt miſer, ac multis vix miſerandus erit.
Laius infelix fruſtra poſt terga Micholis
Plorat, jam viduus proſequiturque comes (*)

At

(*) Phaltiel, filius Lais, maritus antea Micholis. II. Reg. c. III., v. 15.



At neque sic omnis fert in dispendia: sed plus
Contentos media parte beavit amor.
Eminet infelix quidvis, oblivia faustis,
Dum nemo numerat, multa venire solent.
Non omnis male cessit amor; bene plurimus. Eja
Quae causa est. cur hic laedat; at ille nihil?
Hic in consilio, si te bene noveris ante,
Quae tibi circumstent, quaeque sequantur, habe.
Ex his damna solent manare, improvida si mens.
Materiem haec praebent: tum male texit amor.
Hinc sit id in promtu positum tibi cernere certo,
Non quid ames; quamvis hoc quoque nosse decet:
Verum id praecipue, numne et consistere possit
Captus, vel potius concipiendus amor.
Tum ne te limes fallat, nova quaestio limes,
Tu momentosum *Quatenus*? adde mihi.
Nam nisi te portum contingere rite putabis:
Jam dudum studii contrahe vela tui.

Quin et amicitia an possis contentus abire,
Res est consilii non minus ista gravis.
Nomine namque sub hoc saepe est ingressus amator,
Et sibi delituit, delituitque suae.
Ast age, siqua etiam (casus quis enim effugit omnes?)
Sint in amore tuo plena pericla metu:
Monstrandum haec quonam incolumis moderamine fallas;
Si modo tu tuamet flectere frena scias.
Ossibus albebat quondam tua terra, Pelore,
Vel tua, quam dedit hic Hannibal asper, humus. (*)
Illic dulcisono blandae Sirenes ab antro,
Dum canit ista; flat haec; pulsat at illa lyram,
Quaslibet admissas sibi detinuere carinas;
Nec fuga, personuit si melos aure, fuit.
Hic quoque Dulichius reperit tutamina Ductor,
Ut sociis ceras; at sibi lora daret.
Audiit impunis, quota quod ratis ante luebat.
Invitum servant vincula docta Ducem.

Sed

(*) Pelori promontorio nomen factum putant a Pelori Navarchi caede, quem Hannibal suspicione perfidiae ibi interemerit. Alii tamen nomen jam multo antiquius autumant.



Sed mage conſuluit mens jam ſecura pericli,
Quod ſapiens pedicam vicerat ante ſuam.
Non labor eſt magnus praeſens vitare venenum.
Vincere ſed vires illius artis opus.
Quin hoc ſi cogas ipſi ſervire ſaluti:
Tunc mihi tu Paeon, tunc mihi Phoebus eris.
Miſcendo efficiunt, ut vim vis temperet apte:
Namque habet antidotum quaelibet herba ſuum.
Serpit humi ſubtus nimium depreſſa voluptas.
Oppoſitu parili tu face, ut alta petat.
Iam ſemel aërios juſſi dimittere folles,
Temperiem caelo reddere ſiquis amat,
Sic, ut idem dubio exemplum quoque proſit amori:
Quando opus hic freni ſe moderantis habet.
Altius attolles caput: inferiora videbis
Sub pedibus: ſic et compede liber eris.
Huc demum Sophiae te dogmata dia levabunt:
Temperies dehinc alma deeſſe nequit.
Non auctor tibi ſum, ut nubes, et inania captes,
Queis ad proflandum Stoica ſecta tumet.

Hinc

Hinc Chaeroneus ventoſius usque Poëtis
Commentum nugas hoc genus eſſe putat. (*)
Huic tamen, invenies, quaecunque ſalubria conſtant,
Eſſe Epicureae conſona ſcita ſcholae.
Haec quoque corpoream vel eodem teſte voluptam
Perſequitur captans; ut capiatque, fugit.
Haec quoque vult animos temulento abducere ſenſu
Quemque Sophum, ut felix, et Sophus eſſe queat.
Quaerere Stoa jubet, quid res ſit quaelibet in ſe,
Ut bene contemni non moderata queant.
Lucretio quoties redit ipſa haec quaeſtio, ſanum
Quae ſola in cunctis dat retinere caput?
Et Senecae ſecta eſt, vena et tibi ſecta, Petroni,
Dum morti addixit brutus utrumque Nero.
Stoicus is vix ſe fortem tum praebuit aeque,
Ex Epicureo lautus ut iſte choro. (**)

In

(*) Plutarchus Opp. Tom. II, pag. 1057, ſeqq.

(**) Non videtur hic idem eſſe *Petronius*, Ioſepho memoratus (Antiquitt. Iud. lib. XVIII, cap. XI, &) qui



In quo igitur pugnax ſententia conflat utrosque,
Praeſtantis Sophiae tu caput eſſe ſcias.
Dicite quis putet invidiae tam multa licere,
Ut veterum ſummus vapulet usque Sophus?
Siccine mancipium hunc faciunt, qui forte magiſtrum
Frenandae illecebrae non habet arte parem?

Tam-

---

qui ſub Caligula Syriae Praetor fuit, vir humanitate, moderatione, aequitate, atque in primis prudentia ad ſummam laudem ornatus, ac, ſi fuit ille Epicureus, uti ex Petronii poſterioris indiciis colligere videmur; quando apud Romanos ferme ſecundum familias penſare ſectas licet, magnum profecto hujus ſcholae decus: quale hominis ingenium, Philoſophia eo perductum, multo cum grati animi ſenſu Philo deſcribit (in ſuo de Legatione ad Cajum libro); ſiquidem inter inſanientis Caligulae potentiam, et gentis ad necem obſtinatae deſperationem conflictatus Petronius ſic ad felicitatem publicam ſuo cum periculo vertit omnia, vix ut Pomponius Atticus, aut Titus quispiam, ſi cum poteſtate ibi tum fuiſſet, melius potuiſſet conſulere. Veri eſt tamen ſimillimum, Parentem hunc fuiſſe, aut maxime propinquum certe illius *Petronii*, cui *Arbitri* cognomen eſt factum, eo fortaſſis, quod nullas Nero, niſi ex ejus demum arbitrio, delicias probabat: quem tamen poſtmodum a Tigellino aemulo conjurationis inſimulatum mortem ſibi juſſit conſciſcere; uti pluribus Tacitus Annal. lib. XVI, c. 17, ſeqq. Quidſi in Filio Nero voluit ad factum cedere, quod in Parentem Caligula fruſtra conſuluerat: jam enim mandata ad eundem Roma dederat, uti ſe ipſe interimeret, optione duntaxat, quo perire mortis genere mallet, eidem relicta.

Sed

Tamne queat livore ſuo premere aemula verum
Turba, ſub ambigua ſerpat ut hocce nota?
At vel ab invitis Gargettius abſtulit olim
Ille Sophus laudes, quae dubitare vetent. (*)
Eſt mihi pro minimo, Phyſicis ſit quantus in ore;
Nec quidnam de Diîs ſenſerit ille, moror.
Multa fefellerunt veteres inventa novorum,
Et veterum fallunt optima multa novos.
Aſt

Sed citius de Caji interitu nuncii, quam fatales Petronio litterae, perferentium cunctatione, Syriam attigerunt. At ſub Nerone, ut Tacitus indicat, jam omnis Petroniorum familia ab *Arbitro* videtur pependiſſe; quem Epicuri ſectam complexum, fuſtra refragante Gonſalio de Salas (in Praeludio I ad Petronii Arbitri Satyricon) eruditi plerique notis pluribus, iisque etiam arcanioribus moti judicarunt. Equidem Epigramma, quo Epicurum inducit Petronius, varias admittere Lectiones non diffiteor, quas in editione Burmanni conferre queas. Sed cum Epicurum certe *Patrem* ibi appellet, perinde uti Lucretius, ac ſectatores alii Philoſophiae quisque Auctorem ſuae ſic nuncupant, jam vel hinc de iſtius profeſſione dubitare vix poſſum.

(*) Cicero, et Plutarchus, licet adverſarii, tamen Epicurum potius commendant. Sic ille prior de iſto (lib. III Tuſcul. Quaeſt.) *Quid ergo? Tu Epicurum exiſtimas iſta voluiſſe, aut libidinoſas ejus fuiſſe ſententias? Ego vero minime; video enim ab eo dici multa ſevere, multa praeclare.* Et idem de Epicureis (lib. II de Finib.): *Ac mihi quidem, quod et ipſe*



Ast hunc versatum morum in rationibus apte,
Naturamque bene hic consuluisse puto.
Hoc refert hominum magni, cum cetera fallant,
Vel vera et prosint cognitione minus.

Per-

---

vir bonus fuit, et multi Epicurei fuerunt, et hodie sunt et amicitiis fideles, et in omni vita constantes, et graves, nec voluptate, sed officio consilia moderantes. Hoc videtur vis major honestatis, et minor voluptatis. Plutarchus vero (lib. de audiendis Poët.) etsi celato Epicuri nomine has tamen ejusdem sat notas sententias dilaudat: *Mortem nihil ad nos pertinere: Naturae divitias esse definitas: felicitatem, beatamque vitam non in numerosa pecunia, aut possessione rerum ampla; non in principatu, aut potentia dominatrice consistere, sed in vacuitate doloris, sedationeque affectuum, ac dispositione illa animi, quae ipsis naturae finibus omnia circumscribit.* Cum Cicerone concinit Seneca (Lib. de Vita beata c. 13): *Mea quidem ista sententia est (invitis hoc nostris popularibus dicam) sancta Epicurum, et recta praecipere, et, si propius accesseris, tristia. -- Itaque non dico, quod plerique nostrorum, sectam Epicuri flagitiorum magistram esse: sed illud dico: male audit, infamis est; et immerito: nec hoc scire quisquam potest, nisi interius fuerit admissus.* His adde S. Gregorium Nazianz. (in Iambicis v. 18):


Contendit Epicurus meis laboribus
Illam voluptatem esse verum praemium,
In quam bona omnia desinunt mortalium.
Et ne hac voluptate improbam quis crederet
Laudari, honeste, et continenter vivere
Instituit ille, dogma moribus probans.

Perfer, *et evita*, fuit omni tempore vitae
Illud Epicteto fons acroama boni.
Ast *vita, aut patere,* o quanto ſapientius hauſit
Atticus ex certa conditione ſenex! (*)
Pauca quidem reſtant ex illius undique ſcitis;
Quae tua, Gaſſendi, cura redemta dedit.
Et quaedam, ut fatear, veluti pugnantia carpes;
Quae filo invento jam ſociare queas.
Omnia nam pendent ab ſummo prorſus ad imum:
Summus at eſt illis eſſe neceſſe gradus.
Quae non ſunt: poterunt naturae conſona ferri:
Conſona quae neque ſunt; furfuris inſtar erunt.
Ad ſummum, ut video, pertenderat ipſe Magiſter:
Formaque nec reliquum terruit iſta gregem. (**)

T 2 Quan-

(*) Nusquam hoc ſcitum inter Epicuri ſententias verbis conceptis ſic poſitum lego. Sed eſt tamen breviſſimum quoddam ejus compendium doctrinae, quae apud Ciceronem de Finibus recenſetur: dum voluptate docet abſtinendum, ne graviores inde cruciatus, ſed potius ut majores ex ejusdem fuga poſtea voluptates praetermittendo conſequantur.

(**) Cum nec aſſe dimidio Epicurus in diem viveret: erat tamen in ſuos pro cujusque natura indulgentior. Sed et de iſtorum abſtinentia, et frugalitate confer Porphyrium in Lib. de Abſtinentia ab eſu animalium.




Quando ſupra decies ſeptem duo vixerat annos,
Cum functo haud vixit forma gemella ſcholae.
Tum quoque mos, tandem venit cum Plinius Aſtu, (*)
Natalem toto ducere menſe fuit.
Gratia tanta Viri meritis eſt reddita, felix
Moribus is rectis dum bene monſtrat iter.
Abfuit a vitio tantum, indulgentia juncta
Ni foret, ut ferri haud frena ſevera queant.
Namque, niſi quae prorſus habet natura neceſſe,
Quis labor eſt cunctis ſe ſpoliare bonis?
Frugali fuerat conſors huic coetus in horto;
Coena Hecates, tenuem vix meritura quadram.
Ad panem nam mica ſalis, tum deinde legumen
Daps turbae, obſonat dum lepos, omnis erat.

Aſt

(*) Hoc ex conjectura duntaxat veriſimili accipiendum; Plinium enim ſcimus complura confeciſſe itinera, vixque dubium, quin pro Romanorum adoleſcentium conſuetudine etiam in Graeciam, Athenasque perrexerit. Idque et inde fit admodum veriſimile, quod et Epicuri ceteroquin ſententias ſecutum videmus, et quod hujus Philoſophi natalem (Hiſt. nat lib. 32. c. 2) quemadmodum ſua tempeſtate Athenis agi conſueſſet, hic deſcribit, tanquam ipſe praeſens interfuiſſet.

Ast hortos circum pulcherrima quaeque puella
Perpetuae suberant in statione faces.
Boidion, Edejan, Nicedion, atque Themistae
Nomina posteritas nunc quoque sera refert. (*)
Quam tibi victricem moderatio mira palaestram
Hic aperit! Quantos res probat ista Sophos!
Agmine de tanto lassavit nemo puellas.
Integra pellaci his corpora flore vigent.
Sublimes animae, fixus queis altior ordo
Haud nimium est passus sidere corpus humi.

(*) Recenset haec nomina Plutarchus (in Commentar. adversus Coloten Opp. Tom. II, pag. 1086) omissa tamen Themista, pro qua Leontium ibi ponitur. Ex hoc ipso autem scripto adversario satis intelligimus, sine abstinentia singulari vires ita integras, vegetasque conservari non potuisse. Ac Leontium quidem Metrodori, cum Epicuro viventis, concubinam fuisse, Gassendus (in Epicuri Vita, lib. VII, cap. V. Tom. V. Opp. Florent. Typis Regiae Celsitudinis) non inficiatur: sed eam uxoris instar patrio more habitam putat: qualis et Aristoteli Herpillis fuit, ex qua susceptus est Nicomachus. Aliorum Philosophorum illustrium exempla dat Athenaeus (Lib. 13). Porro id Metrodoro Epicurum, quamvis caelibem, prudentia consulente indulsisse Gassendus autumat; qui et Leontium observat, Plinio teste, Sopham cogitantem depingi solitam, talemque et Themisten ibi fuisse, Leontei uxorem.




Quod habet hoc pecudis, ſic et mens expolit ipſum,
Ac ſtudiis lenit, quod feritatis habet.
Aſpice ſidereum, ſublimia pectora, Flaccum,
De grege ſe licet, ut deteriore, notet.
Interiora etenim proles Epicurica quaedam
Clauſtra habuit, Senecae ne patefacta quidem. (*)
At quamvis varie guſtet Venuſinus amorem:
Non illi impoſuit fortior iſte pedem.
Hoc vel ab omnivagis exculta ſcientia libris,
Atque agitata gravi carmine vena dedit.
Hinc quaeras, num certa fides, narrataque de ſe
Ex alio potius ſumta Poëta canat.
Ac licet attollat mentes multo altius ipſa
Ethica, ni nimiis follibus illa tumet:
Vis tamen eſt aliis quoque non levis artibus, ut ne
Saltem haerere diu te ſub amore ſinant.

Iam-

(*) Fuiſſe Epicureis arcaniorem quandam inter ſe ſocietatem Seneca indicat (l. c. de Vit. Beat. c. 13) Ipſum vero ad hanc non eſſe admiſſum, Gaſſendus (in ſuis ad Diogenis Laertii librum X Animadverſionib.) annotat, non addito Auctoris loco. Idem tamen in Vita Epicuri (lib. II, c. 6.) inter Epicuri ſectatores Romanos Senecam omnino enumerat: qui mihi tamen in Stoam videtur propenſior fuiſſe.

Iamque vel hoc magnum, ſi ſis modo compedis expers;
Sic poſſis ſemper juris ut eſſe tui.
Si te deflectat ſtudium, deflectere rurſus
Sic aliud poterit: jam neque ſervus eris.
At licet hoc proſit: tamen huc te tollere parvum eſt.
Altius, optarim, te mea Muſa levet:
Scilicet ut, licet et ſubitis amor evolet alis,
Iacturâ turbet pectora tota nihil:
Sic tamen, ut virtus a te non exprimat iſtud
Barbara, et ingenium vel ſub amore ferox.
Odryſiis tribuunt tam pinguia corda tyrannis,
(Ulla ſi haec praefert fabula gente fidem)
Se prohet ut quisquam mactata pellice fortem,
Ceu ſumme queat hic obvius ire ſibi.
Obviat ille ſibi, quaevis ut bellua ſano;
Quae furiis vinci praebeat ipſa ſuis.
Quod ſuperat feritate modo, durabile non eſt:
Deſtituunt temere concita quaeque fidem.
Tu facito ſemper poſſis, neque mentis habenas
Improviſa etiam ſiſtere cauſa queat.
Huc demum aſſurget virtuti juncta voluptas;
Atque hinc temperies naſcitur aequa polo.



Haec ſibi naturam aſciſcens componit in unum,
Conſilio ac mores, lege ſoluta, regit.
Pleraque conſilio ſatius deducere poſſis,
Si tibi ſint recte ſemina jacta prius;
Quam ſi ſcita putes inde invariata reponi,
Cogere queis homines ſub juga docta ſolent.
At penes eſt rerum prudentia quemque ſuarum,
Cui leve momentum pondera ſaepe facit.
Nam ſe ſiqua repens res inclinavit in uſu;
Computa erunt alia jam redigenda manu.
Quae nequeat ratio conſtanti fixa tenore,
Haec neque te certa lege tenere puta.
Muſica, picturae, tum quidquid et artis ubique eſt,
Quaedam ad diſſidium facta licenter amant.
Ipſa valetudo (ſi prima oracula quaeras,
Paeonia queis haud nomen ab arte novum eſt,)
Exlegi vice longa per intervalla juvatur,
Et veniam erroris firmior inde probat.
Sit venia haec epulis: negat illam Epicurus amori;
Quem prodeſſe nihil; ſaepe nocere monet.
Haec illi Sophia eſt, ceſſare ab amoribus arcta
Lege, ſupervacuum nec temerare bonum.

At


At jam corporeae, mentis prior ipſe voluptam
Subſtituit, ſiccum vivere teque negat.
Occupat adverſum, medicina praede, Galenus. (*)
Qui pro ſe pugnent, ſed tamen alter habet.
Omnia ſi penſes, dirimet prudentia litem,
Quam penes arbitrium nec Sophus eſſe negat.
Hanc modo ſecteris, tibi praecipit ille: ſat aequus,
Satque illi fortis, ſat moderatus eris.
Virtutum hanc etenim germanam ait eſſe parentem:
Qua ſine ſit, reliquis ut potiare, nefas.
Hoc quoque defendam, nec iniqua mente paciſcar.
Eſt aliud de quo jurgia noſtra ſonent.
Senſibus abducit nimium Gargettius Auctor,
Iamque hominem ſibimet vix ſupereſſe ſinit.
Eſtne operae ſpoliare adeo? Quae praemina reddet
Solius in mentis clauſa volupta ſinu?

(*) Reprehendit enim Galenus Epicuri ſeveritatem ceu nimiam Comment. 1 in lib. III Epidemicorum Hippocratis; itemque in libro Medicae Artis cap. 86.



Auſteram ſequar hanc ſophiam, ſiquando neceſſe eſt.
Si vacet, haud ipſus ſponte ſevera petam.
Sic equidem viſum mihi. Sed prudentia tactâ
Ad latus immemoris protinus aure ſtetit.
Siccine nil igitur, quae triſtia damna canebas,
Nil erit, haec praeceps qui pede calcat, amor?
Neſcin', quanto haec ſit tibi contra opus aggere factum,
Sique minus modico feceris, eſſe nihil?
Dic, age, tu nimium quando, periturus ab hoſte,
Qui ſoleat cautos fallere, cautus eris?
Quique modum tranſire ardet, deparcere cautim
Amplius huic juſto nonne neceſſe vides?
Hoc quoque jam vinci eſt, curae ſi negligis expers
Praelia, quae tutum te repetita probent.
Hoſtem quam male te noſti, qui parcere pergas,
Cum tibi amicitiae nomine bella moves?
Pectora quae frangunt; hebetant quae mentis acumen,
In medium ſerpunt, ceu ſubit unda, ſinum.

Hic ſi de pugna ſonuit tuba clara repente:
Tempora quam tolles ſemiſopita toro!
Hic mihi tu vafro Alcides pugnabis amori;
Limite defixo jamque receptus erit?
Intra conceſſas ni ſueſti flectere metas:
Iam neque par bigis tum moderator eris.
Dura quidem vis eſt (niſi certa pericula conſtent)
Quae tibi tam placeant, ut velut enſe ſeces.
Si tamen huc mentem levet altior illa voluptas:
Non vis, ſed virtus hic erit alma rigor.
Aſperius faciunt ſtudium quodcunque magiſtri,
Queis caret, et larvas addere ſaepe ſolent,
Dum celant rigido conjunctum dulce decoro,
Nec monſtrant faciles, multifidasque vias.
Obligo nil quidquam. Monitus ſeſe obliget ipſe;
Si cupit in ſummo vertice noſſe jubar.
Nec tamen hoc ſponſor tibi conſulo. Forte videbis
Aptius ex alia parte patere latus.
Hoc modo ſat certum, juga quod ſuperare neceſſum eſt,
Temperie in celſa qui velit eſſe domi:



Qualis in aetherii ſpatiis jactatur Olympi,
Ut ſabulo inſcriptas non levet aura notas.
Sub juga ni veniat quaevis affectio, ſudam
Dicere nec mentem; nec retinere queas.
Hoc tantum aſſequitur monitis moderatio cautis,
Nam nocet et fatuis cultibus illa ſibi.
Tu tibi praeſtiteris, nequeat quae figere quisquam.
Hic quoque ne pare, ſi tuus eſſe potes.
Tum dici poterit voti ſententia compos;
Tumque animi liceat noſcere dona tui.
Non mihi mira placent, neque ſunt ſublimia cordi,
Empyreo jactant quae radiare Sopho.
Quid dignum tanta feret haec promiſſio lucta?
Quae nova jejunae pabula mentis erunt?
Tum mihi mira probes quaedam licet: usque quis arcu
Contento ſtudiis tempora longa dabit?
Daedala quae tantum ſtruit ars, fugitura palaeſtram:
Sunt eadem haud tempus ferre, nec apta vices.
Me potius comperta juvent, neque dura paratu,
Officii in partem quaeque venire queant.

Mysterii at quamvis res est nullius: habebit
Participes paucos mentis amoena quies.
Desieris nam opus est cujusque cupidinis ante,
Qui contenta sui pectora ferre velis.
Tum fuerint tranquilla tibi mox otia praesto,
Et nil, virtutem quod remoretur, erit.
Si poteris, se mens in pauca ut contrahat ultro:
Divitias aequet regia nulla tuas.
Haec etenim, e gremio quo se diffundat ubique,
Pauper inexhaustam semper abysson habet.
Gaudia sed Sapiens in pectore gestat abunde,
Et docto est illi crapula sana mero.
Num petere est extra satius, quod mulceat intra?
Quidnam aliud demum quaeritur arte foris?
Quidnam aliud cupimus. nisi scilicet esse beati,
Quod sinat ex aliquo capta volupta bono?
Quod minus in promtu est, et quod minus affluat, illi
Nonne supersedeat mens mage dives opum?
Ingenii nunquam, virtutis et ubere nunquam
Sic valet haec, veluti dum requieta vacat.


 

Tunc parit ipſa ſibi, tunc nidos fetibus implet:
Nunquam ad multa magis ſufficit illa veges.
Otia rem geminant: alacri virtute quod exit,
Delicio duplici mentis ad ima redit.
Perſentit benefacta aliis, et paſcitur illis:
Fauſtior eſt, qui dat; quam data dona ferens. (*)
Non fugiunt aliis quaeſita Penatibus illam
Gaudia; quae ducit ſed minus aequa ſuis.
At niſi qui didicit ſibi clam ſic vivere ſecum,
Hic, quae ſe fugiunt, morio ſtulta vocat.
Contra ea naturae tenues ſapientia voces,
Et mutum arguta percipit aure melos.
Innocuis, aquilina licet, dum ſpectat ocellis,
Innocuae arrident omnia fronte pari.
Indiga quo minus eſt, magis allicit extera, cornu
Ac ſeſe obtrudit copia tota ſuo.

Blan-

(*) Legi praeclaram hanc ſententiam alicubi inter Epicuri effata, nec tamen in memoriam regredior, ubinam legerim. Interim recenſetur eadem a Gaſſendo in Syntagmate Philoſophiae Epicuri (Opp. Tom. III Edit. Florent. Typis Reg. Celſitud. pag. 86.) Ad eandem alludit Horatius Epiſt. 17: -- *Tu poſcis vilia: verum es Dante minor, quamvis fers te nullius egentem.* Et affine eſt illud Ariſtotelis (*IV Ethic.* 1.) *Virtuti magis proprium eſt benefacere, quam beneficium accipere.*

Blandior Eoo Titan hinc fulget ab ortu;
Blandior Hesperio dum vocat astra lacu.
Dulcius afficiunt fata laeta, ac ruris honores.
Multa Dryas dicit, multaque Najas: ave.
Terra oculis ludit; garrit lympha auribus: afflant
Nares prata; ori quaelibet esca sapit.
Cuncta placent, quia cuncta decent: facit illa decere
Simplicitas: tegitur simplicitate modus.
Idem quando animum placidissimus obtinet ordo:
Tam sibi blanditur mutua forma magis.
Candida pastorum tenet hunc quia vita tenorem,
Praecipue hinc illi sensus amoenus inest.
Multa negant Arabes quenquam sentire, quod ipsi;
In patula nomades dum stabulantur humo.
Cernis, uti teneros tot ludicra cassa puellos
Detineant totos ad sua scruta dies.
Si quaeris, cur hos tam parva crepundia captent:
En causam! Vacua sunt quia mente, juvant.
His quod simplicitas confert ignara profusi,
Plenius hoc medica sobrietate feres.



Haec ipſam, dum rara venit, novat uſque voluptam,
Ac modulo quodvis vincit aroma ſuo.
Nonne igitur duri pretium fers dulce laboris,
Hunc ita ſi penſet macta medulla boni?
Quem ſitus hic animi fugit; et quam pauca ſaginent
Naturam: fruſtra hic gaudia cara locat.
Thyadas is tantum probat, et ſtrepitoſa tumultu,
Queis nimia affrictus craſſior arte venit.
Hinc, motus hebes ad teneros, amat acria ſenſu,
Quae ſoleant tardas vi lacerare fibras.
Quam feret iſta diu tua machina? Nonne terendo
Carpitur, annoſum quod ſtioularer aliî?
Fac, nil depereat; nil hoc labefiat ab uſu:
Ipſius at ſubeunt taedia nonne boni?
Plus ſat ſi ſemel eſt: ſatias faſtidia ducit:
Immigrat in blandi nauſea prava locum.
Haec poena immodicae, ſimul et medicina ſaginae,
Tam ſi inamareſcat capta volupta cito.
Saepius at vitium non fert hoc porro medelam,
Dum ſine deliciis vivere poſſe negat.

Hinc,


Hinc, quod desipuit, pensat graviore saburra,
Atque novum fractis viribus addit onus.
Temporis impatiens omnis sine lege cupido
Imperitat, quidvis subdere certa jugo.
Cor tenet haec totum: cuncta hic referuntur ad unam;
Et frustra, nisi quae velificentur, habet.
Sed neque se damnis carptim consumere parcit;
Iam licet effoeto robore membra trahat.
Aspice Trinacriam, Dionysiî ad festa secundi
Ut facta est epulis fessa trimestre suis! (*)
Dum Baccho, et choreis certat, noctesque diebus
Rex convivali jungere lege jubet.
Et jubet, et monstrat talem durare magistrum,
Ebrius hic tantum dum fuit usque semel.
Dirutus ast idem prostrata mente valebat
Iam nihil, ad sanum nec caput ille rediît.
Cui firmata Parens ceu regna adamante reliquit,
Haec is consilii praecipitavit inops.
Nec

(*) Portentosa haec Dionysii II Bacchanalia in Dione memorat Plutarchus; eundemque Dionysium ob ebrietatis vitium in contemtum incidisse Dionis, observat Aristoteles Politicorum lib. V, cap. 10.



Nec jam unquam fortis, nec prudens, vappa Dioni est,
Visus, et a modica concidit ille manu.
Tam nocuit nescire modum, capiunda voluptas
Quo fuit, et sine quo nec queat ipsa capi.
Nonne vides haec prona, sinum si pandis amori?
A duce deliciae quae procul esse queant?
Ipse ubi jam primae consuevit corda voluptae,
Quid, nisi quae sua sunt hic alimenta, fovet?
Has jam pompa petit, jam lumina avara requirunt;
Jam socianda strues; jam recreanda fames.
Si tam difficile est compescere cetera sensus
Illicia: an summus te minus angat agon?
Qui tuus esse per haec nequeas: satis esse duobus
Num poteris; tot ubi poscit et alter amor?
Hunc prius expugnes opus est lege ordinis hostem:
Aut nudas reliquis omnibus ipse latus.
Nec nisi velle labor. Velle at mens conscia cogit;
Cui sint haec nexu cuncta retecta suo.

Tum leve conſilium eſt ſibi quaerere: cuncta juvabunt:
Spes, mora, majus opus, mos, fuga, cura, vices.
Sed decernentem juvet ut mage prona lubido,
Majore areſcat ſponte volupta minor.
Haec age ſi poſſit tam te peſſumdare: quidni
Parte tui malis nobiliore frui?
Haec damnum haud dederit; licet indulgentior eſſes;
Turbata poteris nec ratione queri.
Nec tamen iſta velim totum te ſola gubernet,
Corpoream pennis quae nimis exit humum.
Senſibus aſt etiam ſummas ea miſta tenebit.
Provida ſi cuivis imperet illa modum.
Quam mihi tu citius de pumice preſſeris undas,
Ac modo de nuda gaudia mente crees!
Non Sophus hoc ambit: ratio dum lucida primas,
Fert apud hunc; ſola non ratione viget.
Corpore conſtamus pariter: jungatur utrumque.
Federe de juncto gaudia mentis erunt.
Nam niſi quod ſenſu in cerebrum proficiſcitur actum,
Alget, et areſcit debile frontis opus.



Fulmentis mens semper eget de corpore sumtis.
Haec ut Arachnea conſtruit inde colo;
Ac porro in rerum filamina summa resolvens,
Componensque, novum gaudet adepta genus.
Ille Syracusius, clamans: Εὕρηκα, Magiſter,
Dic mihi, corporeis entheus anne vacet? (*)
Balnea transsiluit nudus, caecusque volupta,
Quae Dionysiacis non fuit ulla choris.
Attamen extulerint mentis licet intima partum:
Gaudia non tamen haec corpore nata neges.
Gavisus fuit is formis, fuit arte reperta,
Luserit impensas ut malus emtor opes.
Non igitur sola licearis mente voluptam:
Nec multum certes, quod genus; unde domo.
Pleraque mixta venit: quamvis, imitata Minervam
Quae salit e cerebro, laetior esse solet.
At solo veluti quae sensu lenta moratur,
Transmittit menti pabula rara suae.
Plus suspensa juvat: calet irritata carendo:
Sic cum mente magis consociata valet.

Nec

(*) De Archimedis invento inter lavandum pluribus exponit Vitruvius de Architectura lib. IX, cap. 3.

Nec pretium refert: de parvo hic nafcitur ingens;
Illic quam fumtu grande parare nequit.
Nonne Tagaftaeus, magnos dum captat amicos,
Mendico fenfit fe nihil effe parem? (*)
Is ftipe de modica temulentus regna canebat;
Regibus Orator dum placiturus eget.
Poftera lux oritur: de pectore crapula ceffit:
At fe laetatum gaudet egenus heri.
Poftera lux oritur: tot fefe anfractibus aulae
Ille falutator nil tenuiffe videt.
Sunt bona fparfa locis: pariunt bona cuncta voluptam:
Aft habet et fines cuncta volupta fuos.
Hos ultra prodire nefas, procliveque multum eft:
Haec foret incautis meta verenda prius.
Gaudia proveniant unde unde; hinc dummodo nil, mens
Quod merito carpat, quodque queratur, erit.
Hinc Sapiens, quoties nafci plus inde doloris
Praecipit, aufteram praeftruit acer opem.

(*) Memorat hunc eventum Auguftinus, ac bella comparatione illuftrat lib. VI Conf. cap. 6.



Aut fugit, ac, ne se vafra titillatio vertat,
Mox procul hinc alio tendere vela jubet.
Aut fines intra tam gaudia parca coërcet;
Ut canis e Nili gurgite lingit aquam.
Ast ubi discrimen nullum videt esse voluptae;
Ergo Sopho hic aliud jam moderamen erit.
Hic quoque naturae (Sapiens ne desinat esse)
Servit, et ingenio dona reperta fovet.
Namque voluptates haud per se Epicurus abhorret,
Si possent aliquo quaeque carere dolo.
Stoa negans facto vitium sejungere posse,
Implicat effatis usque roganda suis.
Nullane consistat labis secura voluptas;
Vel si non sola condita mente latet?
Gargettiî Sophus hos Pastoris imagine difflet;
Spectat ubi obliqua fronte, quod ore tacet. (*)
Cur igitur tot res nobis natura propinat,
Si capere injecta relligione vetet?

Quis-


(*) Scite Maximus Tyrius (Differt. 33) ad Aesopi apologum alludit, quo Pastor inducitur ad leonis interrogata, numqua se ibi cerva abdidisset, quam persequebatur, negans quidem ab se visam; interim tamen nutu locum monstrans; subjicitque, Epicurum, si viveret, eandem illis similitudinem impacturum, qui voluptatem voce accusarent, mente sequerentur.

Quisque adeo inficias ibit, conceſſa fruendi
Nil ſe laeſuris plurima lege dari? (*)
Contigit invidiae latratu multa gravari
Nomina, ſe ſolitus comere ſiquis erat.
Venit ab exemplis infamia. Sic Epicuri
Laeſerunt ſectam non tua, Piſo, parum.
Hic quid tiro, ſcholae ſollers neque cognitor hujus?
Ludibrium meritus deferat ille ſuum.
Verum alii ſcitis docti ſapientius horti
Utentes faſtis nomina nonne dabant?
Atticus ille bonus, Cicerone aeternus amico,
Dic, vitae egregiae non paradigma tibi eſt? (**)

---


*) Ipſe Cicero, inter Epicuri adverſarios gravitate, et oppugnandi ſubtilitate praecipuus, illud tamen caput, quod rem hanc maxime continet, in Oratione pro M. Caelio (c. 17) non confitetur modo, ſed et eleganter illuſtrat: *Multa nobis blandimenta natura ipſa genuit, quibus ſopita virtus conniveret, et interdum multas vias adoleſcentiae lubricas oſtendit, quibus illa inſiſtere, aut ingredi ſine caſu aliquo, aut prolapſione vix poſſit, et multarum rerum jucundiſſimarum varietatem dedit, qua non modo haec aetas, ſed etiam jam corroborata caperetur. Quam ob rem ſiquem forte inveneritis, qui aſpernetur oculis pulchritudinem rerum, non odore ullo, non tactu, non ſapore capiatur, excludat auribus omnem ſuavitatem: huic homini ego fortaſſe, et pauci Deos propitios, plerique autem iratos putabunt.*

(**) De Attico, ceteriſque Romanis Epicuri magno numero ſectatoribus conf. Gaſſendum in Vita Epic. lib. II. c. VI.



Isque Epicurum sibi nativis in sedibus hausit,
Quam vixit placidos inter et arma dies!
Nec tamen ingenuae passus quid deêsse voluptae,
Sobrius ad lautum contulit hancce decus.
Ac nisi qui juste, qui fortiter, et moderate
Vivat, delicias hunc memorare vetant.
Hos igitur fines intra sit tuta voluptas.
Et nonne hoc fuerit limite semper opus?
Nec quae praecedat luctas, sed quae inde sequatur,
Tutior est semper, partaque rite quies.
Nempe caput duplex artis, modo ponere metas,
Et modo diversum conciliare genus.
Quid forte, ac justum, dubitatio rara relicta est.
Dic, quid mens prudens vult moderanter agi?
Et tamen hinc certe primus fons pendet honesti:
Et scin', notitiis pluribus esse locum?
Nunquam igitur fas hic hominum componere lites:
Sed stet ab arbitriis quilibet, esto, suis.

Contemnique licet vulgi ſententia digna eſt,
Quando agitur ratio; cum gregis inſtar eat:
Non tamen in damnis, Sapiens quae penſet, oportet,
Haec eadem recte computa ſumta putes.
A fama pendere bona bona plurima poſſunt,
Judiciumque affert multa ſiniſtra malum.
Tu, licet ex alba venit obtrectatio mente,
Verbera ne flocci quaelibet oris habe.
Atque ubi tu nequeas torrenti obſiſtere ſolus,
Moribus et canis ſemita trita manet:
Si felix tibi vita Sopho, tranquillaque cordi eſt;
Hic catus offenſas, invidiasque cave.
Hoc magis alterius famam maculare volupta
Parce tua. Ad damnum pertinet iſtud idem.
Parendum eſt multis, ubi turba gubernat honeſtum.
Rex tibi ſi ratio quaeritur, unus eris.
Haec tamen ante tuam, ſed palpi neſcia, mentem
Naturae certa cognitione regat.
Tum tu cenſorem poteris contemnere bardum
Teſte Deo fretus, qui ſcit et ipſus idem.
Corpore vincta quidem ſunt, quae nos pulchra vocamus.
Aſt verum, atque bonum cernere mentis opus.



Inter utrumque putant magnum chaos obstipari;
Cum sint finitimo limite juncta tamen.
Namque ita naturae species has contulit Auctor,
Ut sese excipiant ordine quaeque suo.
Quid nisi consensus variorum junctus in unum
Id, quod nos verum dicimus, esse potest?
Quidve bonum, nisi quod veri ceu fine quiescit,
Sive animo satiet, corpore sive tenus?
Jamque oculis ubi spectatur consensio, pulchrum est.
Quin commune animi dotibus istud idem.
Quam facilis proin gradus est haec inter ad unum
Ex alio? Ut jungi sensile mente potest!
Hinc pueri ad pulchrum adtenti haud laedet arundo;
Isthaec si bene sit trita palaestra tibi.
Fac verum, atque bonum id, cui tantum est gloria pulchri:
Tu bonus, ac verus sat quoque pulcher eris.
Seu te sustineas, sive indulgere licebit:
Haud parva innocuus commoda praestat amor.
Sic tamen, ut virtus moderamina flectat utrinque;
Si, ne te fugiat vera volupta, velis.

Is posita feritate truci te reddet amoenum.
Utere clementis simplicitate Genii.
Fac, vacet ut cunctis bonitas porro indolis ista:
Pectore jam tali gaudia mille creas.
Usibus his jam si sese sapientia miscet
Provida: quam fausto lustra tenore fluent!
Nempe ut feminea poliuntur lege mariti:
Sic colit ingenium mitis et alter amor.
Tu modo congemina; mens ut jam fenora sensu,
Jam redigat sensus mente juvante duplum.
Nec tu corpoream rem tantum in corpore prenses:
Nec tam corporeo grata sit illa modo.
Amplius excolito. Vibrata tendine si mens
Blanditer afficitur: blandius addat item.
Forsitan hoc agili pacto venit illa voluptas,
Cujus Aristippi nomine secta cluet.
Ast voluit senior Gargettius esse quietem,
Cyrenes motum quod Sophus esse putat.
Pauca adeo restant hujus monimenta Magistri,
Ut conjecturis vix nisi summa sequar.
Si tamen hoc liceat; verbis propensior hujus
Fors causa est; sed re vicerit ille prior.
Nam puto felicem, cui copia semper agendi est.
Ac dum felicem dico: quid hocce subest?



Eſt quoque (confiteor) virtus, cui ſemper agendum,
Absque alio per ſe munere digna peti.
Nonne etenim, ad verum, et pulchrum quod pertinet, implens,
Et ratio, et ſenſus quod petit, illa patrat?
Nec tamen hinc bona ſunt, niſi quod contingere finem
Hic licuit. Sic eſt ultima meta quies.
Atque eadem volupe eſt. Patiens petit actio quiddam.
Hinc fetum virtus edit et ipſa bonum.
Iſthinc felices etiam haud facit eſſe petentes;
Dum, quod delectet, neſcit abeſſe bono. (*)
Atque bonum certo petimus; licet eſſe voluptam
Non ſubit. Et tamen huc quid lacit, ipſa niſi?
Non, Epicure, bonis tua tam ſententia diſcors,
Cordatum ut poſſit jure pigere ſophum.
Quid niſi Chriſtiadis Patris, Natique voluptas
Pneuma? Et proceſſus ſiſtit ad hocce tenus.

(*) Non parum huc et illud Ariſtotelis congruit (lib. X, Ethic. c. 4): *Perficit enim voluptas actionem, non ut habitus inexiſtens, ſed ut finis quidam ſuperveniens, eo modo, quo decor florentes aetate commendat.*

Hinc parit et nobis Sapientia dia voluptam:
Quoque ea pura magis, plenior iſta venit.
Hanc et ſenſilium prudens exaggerat uſus;
Plusque eadem ingenio ceu medicata juvat.
Gignit eam ratio: ſed et iſtam notio rerum;
Si natura ſatis jam liquet ante tibi.
Hanc quae conſequitur, prudentia prima ſubibit,
Dum rerum inſervit finibus, atque modis.
Haec igitur demum eſt etiam fons verus honeſti,
Plebis ab arbitrio disſocianda procul.
Has at notities multum variare notabam;
His alios alii dum ſuperare ſolent.
Hinc vix conſtantem poteris deducere normam;
Arbiter et ſatius ſit ſibi quisque ſuus. (*)
Is videat ſe digna frui: et ſi viderit: ecquid,
Tu, ſibi quae expoliit ſcitius ille, vetes?

Hinc

(*) Concinit cum his inſignis locus Ciceronis (Tuſcul. V. 81): *Sapientis eſt proprium, nihil quod poenitere poſſit, facere, nihil invitum: ſplendide, conſtanter, graviter; honeſte omnia; nihil ita exſpectare, quaſi certo futurum; nihil cum acciderit, admirari, ut inopinatum, ac novum accidiſſe videatur; omnia ad ſuum arbitrium referre: ſuis ſtare judiciis.*



Hinc quidam et tenuem navant velut arte voluptam,
Uti intervallis, dum vicibusque ſciunt.
At virtute magis volupe ad faſtigia demum
Perduces: et eruut optima juncta ſinu.
Munera tam bene qui moderatur credita, multos
Ut ſe contentus rurſus et ipſe beet:
Is ſe ſcit rerum ſummo placuiſſe Satori;
Omni dum fines illius urget ope.
Hujus amicitia virtus ſecura voluptam
Dum cumulat, quid vis? Nonne futura tenes?



Emendanda.

Pag	lin.		lege
8 -	16	ſtrieturas	*Stricturas*
18 -	21	vagabunda	vaga ſtante
19 -	9	ferrens	ferens
34 -	17	querulas	tetricas
36 -	18	conſociare	conſcius ire
52 -	18	queror	querar
60 -	4	Rolliano	Rollino
63 -	20	Premeditantis	Premeditantia
94 -	10	vernacula	vernili
133 -	7	*ingemio*	*ingenio*
138 -	17	aſſes	eſſes
147 -	5	Palaſgos	Pelaſgos
151 -	11	truoem	trucem
172 -	16	juſtem	juſtam
174 -	10	*Ariſtolea*	*Ariſtotelea*
176 -	5	majoris	jam pluris
178 -	19	ſoiliccet	ſcilicet
180 -	7	ſupplexue	ſupplexve
185 -	18	aſſcla	aſſecla
192 -	3	ihaalamos	thalamos
200 -	1	fit	ſit
205 -	16	rapa	rapta
206 -	11	aegtis	aegris
215 -	9	Phxſicae	Phyſicae
224 -	7	*Propoſitio*	*propoſito*
233 -	3	ipſa	ipſe
235 -	9	anchelat	anhelat
245 -	5	ſtatis	ſatis
256 -	5	later	latet
258 -	13	anholis	anhelis
266 -	19	Itinerariam	Itinerarium
268 -	4	erbus	orbus
-	7	panus	manus





